



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1705**

Titulus V. De Præbendis & Dignitatibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62668](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62668)

- spe remissionis seu condonationis & recuperationis distributionum amissarum.
57. Dubium quartò est, an ex iuris Infirmi- tatis, corporalis Necessitatis, vel evidentis Ecclesie Utilitatis causâ absens perinde, ut personaliter præsentis, lu- cretur distributiones eorum, qui ille- gitimè absunt. Affirmativam enim sua- dere videtur ratio, partim; quòd iustâ causâ absens iure habeatur pro præsentis; ut proinde ipsi non minus quam aliis per- sonaliter præsentibus distributiones ille- gitimè absentium accrescant; quia hæ- isdem, qui proprias percipiunt, con- cessæ videntur à Tridentino *Sess. 21. cap. 3. & Sess. 24. cap. 12. & V. Statuimus eitt.* partim verò; quòd absentibus ex iusta causa concedantur distributiones, quas perciperent, si Divinis interessent. Cum ergo, si his interessent, percipe- rent distributiones absentium, has etiam percipient legitimè absentes; quod pra- xi Ecclesiarum Hispaniæ confirmat Palao *cit. disp. 3. p. 8. n. 7.* qui tamen *n. 8.*
58. Negativam iure spectatò tanquam probabiliorem præfert cum Bonacina *disp. 2. de Horiæ Canon. q. 7. p. 1. in fine,* quam cum Barthol. à S. Fausto *Lib. 3. de Ho- riæ Canon. q. 91.* etiam tuetur Barbosa *de Canon. & dignit. cap. 22. n. 19.* Ra- tio est; quòd his illegitimè absentium distributiones accedere expressè non sta- tuatur *c. Unic. cit.* neque etiam *eitt.* de- cretis Concilii Tridentini: à cuius In- terpp. Cardinalibus absentium distribu- tiones deservientibus, quales non sunt, qui infirmitatis aliave etiam iustâ causâ absunt, accrescere, declaratum est apud Garciam *cap. 2. n. 465.* Unde inferunt, illas his non adstruendas, partim; quòd privilegium, vi cuius ex iusta causâ ab- sentes distributiones percipiunt, cedat in diminutionem cultûs Divini, ad quem augendum illæ sunt introductæ; atque idcirco, tanquam odiosum, ad partici- pationem distributionum per illegitimam absentiam amissarum non sit extenden- dum, *arg. Reg. Olla 15. in 6.* partim verò; quòd, cum majorem laborem ex aliorum, absentia subeant, & istorum vice fungantur verè, & non fictè tan- tum præsentis, id quod absentes non percipiunt, verè, non fictè præsentibus accrescere conveniens sit,



## TITULUS V.

### De Præbendis & Dignitatibus.

**C**lericis in Ecclesiis suis residen- tibus suoque fungentibus of- ficio, ut de Altari, cui in- serviunt, vivant, atque ob inopiam ad viliora munera non facile ab- strahantur, conferuntur Præbendæ &

Dignitates: quorum nominum priorî generatim acceptò & præsentî Rubricâ inferiora: posteriori verò majora bene- ficia Ecclesiastica intelliguntur, Barbosa *ad hanc Rubr. p. 6.* & ibi Pirrhing *n. 1.*

ARTICU-

## ARTICULUS I.

De Natura Beneficio-  
rum Ecclesiasticorum.

## SUMMARIUM.

1. Beneficium includit spirituale officium & redditus temporales,
2. Hicque propter illud percipiendi jus:
3. Quod auctoritate Ecclesiastica,
4. Apostolica vel Episcopali institutum,
5. Et perpetuum esse debet,
6. Saltem vi sua institutionis, si beneficium laicè:
7. Si fructus accipitur, etiam in beneficio.
8. Commenda vel Perpetua est vel Temporalis:
9. Quorum illa,
10. Non etiam ista beneficium est.
11. Tale non est Capellania:
12. Nisi Episcopali auctoritate erecta in titulum detur.
13. Beneficia olim non erant,
14. Hodie tamen sere sunt Praesimonia.
15. Non etiam Hospitalia:
16. Duobus casibus exceptis.
17. Praeceptorias & Commendas Militares beneficia esse negantium,
18. Et Manualibus accensentium, verior opinio.

I. **B**eneficium Ecclesiasticum est Jus perpetuum percipiendi redditus seu proventus Ecclesiasticos ratione officii sive servitii spirituales, auctoritate Ecclesiastica constitutum, Hostiens. in c. Relatum 9. Lessius Lib. 2. de l. & l. cap. 34. n. 1. & Laiman Lib. 4. tract. 2. cap. 5. n. 1. qui aliique DD. in beneficio tria distinguunt. Primum sunt redditus seu fructus ex Ec-

clesiasticis sive Deo dicatis bonis provenientes: qui sunt quid temporale. Alterum est officium, sive obligatio ad obendam functionem aliquam spirituales, vg. recitationem Horarum Canonicarum, celebrationem Missae, praedicationem verbi Divini, administrationem Sacramentorum &c. quod officium est aliquid merè spirituale, & beneficium causa ac fundamentum; beneficium enim propter officium datur, c. fin. de Rescript. in 6. Postremum est ipsum jus dictos redditus percipiendi: quod, licet secundum se spectatum non spirituale, sed temporale sit, spirituale tamen fit propter officium sive ministerium spirituale, ex quo oritur, cuique tanquam radici est annexum, & c. Dilecto 25. Prabenda nuncupatur, Lessius cit. n. 1. & 2. Vallenf. de Benef. Lib. 1. tit. 1. à n. 3. & Pirrhing ad hanc Rubric. n. 2.

Porro, ut ejusmodi redditus intuitu spiritualis Officii percipiendi jus propriè acceptum beneficium Ecclesiasticum sit, duo insuper exiguntur.

Prius est, ut Ecclesiasticà auctoritate sit constitutum sive erectum, aut saltem confirmatum; quia nulli laico privato competit potestas ejusmodi redditus percipiendi jus spirituali officio perpetuo annectendi, cit. Lessius n. 4. Palao n. 3. & Pirrhing n. 6. Unde non beneficium Ecclesiasticum, sed pia solum donatio aut legatum foret, quod pro celebrandis Missis relictum aut destinatum esset à laico aut clerico privato. Episcopali alicujus simili auctoritate non interveniente. Ubi

Dubium est, cujus Praelati auctoritate beneficia Ecclesiastica constituta sint, aut constituenda. Qua in re praeculis habenda est varietas beneficiorum. Et Papale quidem, sive dignitatem Sedemque, ut vocant, Apostolicam immediate à

tè à Christo Domino constitutam erigendamque, Nicolai II. ad Mediolanenses rescriptum *can. 1. V. Illa verò dist. 22.* & Orthodoxæ Fidei inconcussa veritas est. Apostolica verò proximas, Patriarchales scilicet, cæterasque Ordinis Episcopalis dignitates sedesque institutionem & erectionem suam summis Pontificibus, provinciarum ac dioecesium limites designantibus, immediatè debere, habetur *can. 1. V. In ipsi dist. 80. can. 1. dist. 99. & Extravag. Unica inter com. de Officio deleg. ullaque alia autoritate sine Apostolicæ interventu erigi nunquam potuerunt, cit. can. 1. dist. 80. ubi Glossa V. Omnes Imola in c. Cum olim 6. de Consuetud. n. 1. & Tholos. Syntag. lib. 15. cap. 12. n. 4.* Eadem autoritate immediatè erecti Tituli institutaque, & cum tempore quibusvis aliis, etiam Episcopalis Ordinis, & Patriarchali quoque, prælata in Ecclesia est dignitas Cardinalitia, Joan. Andr. in c. Cum aliquibus 4. de Rescript. in 6. Tholos. Lib. cit. cap. 4. n. 4. & Barbosa *Juris Eccles. lib. 1. cap. 3. n. 7. & cap. 4. n. 24.* Eidem originem suam debent Parochialia, *can. Ecclesias 13. q. 1. & c. Pastoralis 11. De iis, qua à Prelat. cæteraque beneficia & dignitates Ecclesiasticæ inferiores: licet cum tempore, & hodie quoque ab Episcopis, can. Episcopi 3. dist. 80. & sublimioribus Episcopalis Ordinis, imò & minoribus, jurisdictionem tamen quasi-Episcopalem in certum territorium istiusque clerum ac populum obtinentibus prælatis erigi, illorumque erectioni autoritas impendi possit, Lambertin. Lib. 1. de Jure Patron. p. 1. q. 9. art. 5. n. 1. & Lotterius de Benefic. Lib. 1. q. 5. n. 49.* Cæteris autem, tam Secularium quam Regularium Ecclesiarum, prælatis etiam exemptis, seclusò privilegio Apostolicò, beneficia erigendi, eorumque erectiones

confirmandi potestas denegata est. *Authenticitate 4. de Privileg. in 6.*

In hujusmodi autem beneficii institutionem Episcopus eique similis prælatus consentum præstare, illique auctoritatem suam impendere fati intelligitur, quando ad ejus erectionem dorem collatum sciens clerico, à fundatore sibi præsentato, id in perpetuum titulum confert, Bellamera in c. Super hoc 5. de Renuntiat. n. 18. & Lotterius cit. q. 5. n. 63.

Posterior, quod ad beneficium Ecclesiasticum requiritur, est; ut redditus temporales propter spirituale officium percipiendi jus sit perpetuum. De quo tamen

Dubium & controversia est, an jus perpetuum esse debeat in ipso beneficio; ut huic, postquam legitime collatum est, auferri nequeat sine gravi & legitima causa: vel sufficiat perpetuitas in ipso beneficio; ut hoc ex institutione sua clerico in perpetuum possit, vel uni ablatum alteri debeat conferri. Prius desumitur partim ex *can. Sanctorum 2. dist. 70.* verbis, *In qua Ecclesia quislibet institutus est, in ea perpetuo, hoc est, ut Glossa ait, dum vivit, perseveret: ex c. De Rectoribus 3. & c. Ex parte 5. de Cleric. agrot. & ex c. Si gratiosè 5. de Rescript. in 6.* partim ex eo; quòd Pensio, uti & Vicariæ temporales, licet redditus Ecclesiasticos percipiendi spiritualia jura sint, è beneficiorum tamen numero excludantur, ob defectum solius perpetuitatis. Posterioriorem verò perpetuitatem sufficere, suadet Ratio; quòd à Papa omnia beneficia temporalia effici possint, *c. Si gratiosè cit.* imò de factò dentur beneficia Manualia & Regularia, quæ ad nutum valent revocari. Propter hanc rationem

Conleo primò, ad rationem beneficii

ficii sufficere perpetuitatem, quæ habetur ex vi institutionis. Unde, licet beneficia non sint Pensiones; quia solum durat ad vitam pensionarii, quò mortuò omnino extinguuntur: sicut & Cooperatoriæ ac Vicariæ temporales Episcoporum & parochorum; quia ex sua natura non sunt perpetuæ, & uni ablata non necessariò alteri conferuntur: talia tamen sunt Prioratus aliâque beneficia Regularia: imò aliquando Secularia manualia; quia vi suæ institutionis durat perpetuò; ut alicui in perpetuum possint & , quando uni auferuntur, alteri debeant conferri, Garcias p. 2. de Benef. cap. 2. n. 79. Lessius cit. cap. 34. n. 3. & Azor p. 2. Instit. lib. 3. cap. 26. q. 12. Hòc tamen non obstante

7. Censeo secundò, ad beneficium strictè & secundum communionem sacrorum Canonum acceptionem requiri perpetuitatem in ipso beneficiato; ut scilicet huic ad libitum & sine legitima seu Jure expressa causa nequeat auferri, partim; propter textus & rationem pro priori parte allegatam: partim verò; quòd ea, quæ in titulum perpetuum non conferuntur, & revocabilia sunt, sub Regula Cancellariæ Apostolicæ de Reservatione beneficiorum non comprehendantur, Gonzalez in Reg. 8. Cancell. gloss. 5. §. 6. n. 16. & Garcias cit. p. 1. cap. 2. n. 89. neque sufficiant pro Titulo, necessario ad recipiendos Ordines sacros, cit. Garcias n. 91. cum tamen beneficium ad eos sufficiens Titulus sit, secundum Trident. Sess. 21. cap. 2. de Reform. quòd clericus secularis à Papa impetrans beneficium, vi ejus gratiæ obtinere nequeat Manuale, Calderin. Consil. 21. n. 1. de Præbend. & Sanchez Lib. 7. Moral. cap. 29. n. 105.

Si hætenus declarata beneficii natura præ oculis habeatur, de plerisque

reditus temporales, spiritualis officii ratione, percipiendi juribus, an beneficia Ecclesiastica sint, aut secus, facillè statuetur: dubium tamen remanebit de nonnullis.

Et primò quidem de Commenda, 8. quæ Ecclesia aut beneficium alicujus clerici custodiæ & administrationi committitur, arg. l. Commendare 186. ff. de V. S. Glossa in c. Nemo 15. V. Commendare de Elect. in 6. & Gonzalez in Reg. 8. gloss. 5. §. 8. n. 38.

Est autem Commenda duplex. Una perpetua, quæ Ecclesia vel beneficium alicujus custodiæ, curæ & administrationi committitur in perpetuum sive, dum is vivit: quò modò clerico, ad ejus titulum aliàs inhabili, vg. Ecclesiam aut beneficium Regulare seculari, aut vicissim seculare Regulari in commendatarii comòdum & utilitatem concedere, eaque concessione ad illud retinendum dispensare solus Papa potest ac solet, Rebuffus de Commend. n. 7. Gambarus de Offic. legati lib. 4. q. 21. n. 162. & Garcias p. 4. de Benef. cap. 4. à n. 13. & 22. Altera temporalis, quæ alicujus custodiæ, curæ & administrationi committitur ad tempus, quò modò beneficia parochialia ex causa necessitatis vel evidentis utilitatis Ecclesiæ, vg. donec absens ejus Rector revertatur, vel idonea persona in eo canonicè institui possit, alicui sacerdoti in commendam ab Episcopo dari ad semestre, eaque causâ durante commenda prorogari olim poterat, c. Nemo cit. ubi Glossa V. Nemo & V. Durare cit. Garcias à n. 13. & Laiman in c. cit. n. 3. Hodie autem, justâ causâ poscente, in ejusmodi beneficiis vicarii, congruâ fructuum portione assignatâ, constitui debent ex decreto S. Synodi Trident. Sess. 24. cap. 18. de Reformat.

9. Ex duabus his Commendis prior benefi-

H

beneficium est, eive æquiparatur; cum ejus concessio vim & effectum tituli canonici inducat, & commendatario tribuat omne jus, quod verus Ecclesiæ rector & beneficiatus habet: &, perinde ut ille, sic etiam ipse Ecclesiæ vel beneficii fructus faciat suos, eosque liberè distrahere, illi annexa præsentandi eligendive, institutiendi & conferendi jura exercere; imò ipsam Ecclesiam vel beneficium commendatum cum alia Ecclesia vel beneficio in titulum concessio permutare, aut aliter, etiam in favorem, resignare, eorumque possessiones seu bona locare possit, *citt. Gonzalez §. 8. à n. 5. Garcias n. 20. & Barbosa Jur. Eccles. lib. 3. cap. 9. à n. 22.*

10. Alia ratio est Commendæ temporalis; cum enim hanc obtinens Ecclesiæ vel beneficii custos duntaxat, administrator & procurator sit, in eoque jus in re & quasi titulum non habeat, ejus jura quidem ad tempus exercere, & de collectis fructibus portionem pro suis & suorum ministrorum alimentis ac salariis assignatam detrahare potest: reliquos autem in Ecclesiæ utilitatem convertendos eorumve venditorum pretium servare tenetur: nisi, ut quandoque solet, omnes fructus durante Commendâ provenientes percipiendi jus ipsi specialiter sit concessum, *Glossa in c. Nemo V. Commendare cit. ubi Francus n. 5. & Gonzalez cit. §. 8. n. 39.* Ecclesiam autem vel beneficium sibi commendatum neque ex causa permutationis neque in favorem tertii resignare, sed solummodo in superioris manibus simpliciter dimittere valet, *Flamin. de Resignat. lib. 2. q. 17. n. 6. & Barbosa cit. cap. 9. n. 18.*

11. Secundò de Capellaniis, sive oneribus annuatim unam vel plures Missas celebrandi in Ecclesia vel Altari, ut eas definit Vasquez in 3. p. disp. 234. n. 25.

Quæ an beneficia Ecclesiastica sint, de sumendum est ex earum fundatione; quædam enim fundatæ sunt, non interveniente Episcopi vel alterius superioris Ecclesiastici autoritate; & fundatorum nominatione seu vocatione certo generi personarum, vel quibus libet clericis conceduntur: quæ licet à clericis ex propriis bonis fundatæ & perpetuæ sint, ceteraque ad beneficium requisita omnia habeant, beneficiis tamen Ecclesiasticis nequeunt accenferi; propter defectum Ecclesiasticæ autoritatis, in eorum fundatione & provisione non intervenientis, *Tholosan. de Benef. cap. 11. n. 10. Moneta de Decimis cap. 9. n. 21. cit. Garcias p. 1. cap. 2. n. 102. & Barbosa Lib. 2. cap. 5. n. 3.* Aliæ verò erectæ sunt 12. autoritate Episcopali: quæ, si eadem autoritate interveniente in titulum perpetuum conferantur, propriè & strictè: minus autem propriè ac latè dictis beneficiis Ecclesiasticis simplicibus accensendæ sunt, si ad nutum revocabiles, unique ablatæ alii clerico conferendæ sint, juxta dicta n. 6. & 7.

13. Tertiò de Præstimoniiis sive, ut etiam nominantur, Præstimonialibus portionibus, seu stipendiis ac proventibus annuis de bonis Ecclesiarum detractis, & ex primæva eaque antiqua institutione in sustentationem aut subsidiû juvenum versantium in studiis vel hominum pro fide ac Religione decertantium: hodie verò plurium Ecclesiarum canonicis & aliis clericis præstari solitis, apud *Azor p. 2. Instit. lib. 3. cap. 7. q. 1. cit. Gonzalez Gloss. §. 2. n. 6. & Barbosa Lib. 3. cap. 8. n. 1.* quæ an beneficiis accensenda sint aut secus, controversia est inter DD. quorum in utramque partem militantium Opiniones conciliandæ sunt ope distinctionis inter Præstimonialia, quæ, ut initio confueverunt, laicis aut etiam cleri-

clericis, sed sine spiritualis obsequii obligatione, vel ad certum duntaxat, vel ad incertum tempus revocabiliter tamen conceduntur: & ea quæ, ut hodie in Hispaniæ quibusdam Ecclesiis, ministerium sive obsequium spirituale annexum habent, & in titulum perpetuum conceduntur; cum, sicut priora non esse beneficia, sic esse posteriora, ex declarata beneficii natura exploratum, & illud etiam certum sit, de posteriori modo acceptis præsimoniis exaudiendas Constitutiones Apostolicas, quibus *Collationes & concessiones super præsimoniis, Ecclesiis parochialibus & aliis quibuscunque beneficiis Ecclesiasticis vacaturis facte irritatæ referuntur, c. fin. pr. de Concess. præbend. in 6.* Ita cum Hoieda de *Incompatib. benef. p. 2. cap. 8. n. 12. cit.* Flamin. *Lib. 2. q. 1. à n. 32.* Gonzalez §. 2. à n. 10. & aliis pugnantibus DD. Opiniones in concordiam reducit *cit. Barbosa n. 5.*

14. Quartò de Hospitalibus: quæ, si merè seculari aliave privata autoritate erecta sint, in beneficiorum censum non venire, res est omnino indubitata. Idem de erectis autoritate Episcopali, cum Rebuffo de *Nominat. q. 15. n. 16.* Selva de *Benef. p. 1. q. 3. n. 9.* & aliis tradit & Rotæ decisionibus firmat *cit. Garcias p. 1. cap. 3. n. 1.* ductus *Clement. Literas 2. de Præb. & dignit.* quæ literas Apostolicas, super provisione clericorum de beneficiis expeditas, ad Hospitalia porrigi apertè negatur: etiam si ista Ecclesias, capellas, camiteria &c. habeant, & loca sint Religiosa, Glossa in *Clem. cit. V. Ecclesias & V. Spiritualia.* Ratio est; quòd (cùm ea committantur laicis, *Clement. Contingit. 2. de Relig. domib.* cujus §. *Ut autem Hospitalium gubernatio, si id non exposcat fundatio, conferri prohibetur clericis secularibus, & jubetur aliis providis, idoneis & boni testi-*

monii viris) qui ea obtinent, non beneficium, sed officium duntaxat & administrationem, ad instar tutorum & curatorum habere, dicantur §. *cit. & l. Orphanotrophos 32. C. de Episc. & Cleric.*

16. Exciipiuntur tamen & beneficiorum numero comprehenduntur Hospitalia, quæ ex fundatione vel ordinatione publica clericis, vel his per electionis, à superiore confirmandæ, viam conferuntur, §. *cit.* vel Ecclesiæ aut alteri beneficio Ecclesiastico unita sunt accessoriè; cum talia fortiantur naturam (sui principalis, per *Reg. Accessorium 42. in 6. Panorm. in Clement. cit. n. 5.* ubi Zabarella *q. 17. Imola n. 15.* & Garcias *p. 1. cap. 3. n. 2.* id ad Hospitalia illis æque principaliter unita extendens, cum Rebuffo *cit. n. 15.* & Gonzalez *cit. gloss. 5. §. 4. n. 16.*

17. Quintò de Præceptoris & Commendis Ordinum Militarium S. Joannis Jerosolymitani & S. Mariæ Teutonicorum &c. istorum Equitibus assignari solitis; ut ex ipsarum bonis provenientiam reddituum partem aliquam in peregrinorum receptionem, curam agrorum, aut egenorum elemosynas convertant: aliam impendant in certos sui Ordinis usus, & residuam sibi sumant in stipendium sustentationis atque laboris & operæ mercedem: quas è beneficiorum numero, cum Tholosan. *Syntag. lib. 15. cap. 34. n. 2.* & Mandosio in *Reg. Cancell. 16. q. 11. n. 3.* excludit Barbosa *cit. Lib. 3. cap. 7. n. 9.* partim; quòd ejusmodi Præceptoris & Commendæ neque in titulum perpetuum neque ratione officii spiritualis, sed operæ tantum ac feruitii temporalis scilicet militiæ & administrationis bonorum intuitu concedantur: partim verò; quòd in Præceptoribus & Commendatariis ullus Ordo etiam minor & prima tonsura non exigatur.

At, esto postremum hoc ita sit, 18.

H 2 Præce.

Præceptorias tamen & Commendas beneficia saltem Manualia esse, cum Rebuffo *q. cit. n. 16.* Corraio *de Benefic. p. 1. cap. 3. n. 2.* Flamin. *de Confident. q. 17. n. 2.* & Lotterio *Lib. 1. de Benef. q. 36. n. 3.* Iustinent *Garcias cit. p. 1. cap. 4. à n. 1.* & Sperell. *decis. 2. n. 37.* Ratio est; quia Præceptores & Commendatarii, licet ullo Ordine non initiati, Religiosi tamen, *e. Cùm & plantare 3. pr. ibi Fratres Templi & Hospitalis & alii Religiosi, de Privileg. & personæ Ecclesiasticæ sunt:* ipsisque Præceptoriarum & Commendarum ratione militiæ ex fine suo spiritualis ac caelestis, quam pro Fidei ac Religionis defensione adversus Christiani nominis hostes profitentur, in titulum perpetuum & ad vitam conceduntur: & licet ipsis queant auferri, id tamen non provenit ex natura Præceptoriarum & Commendarum, sed ex solenni voto Obedientiæ: & non impedit, quò minus beneficia saltem Manualia sint: cùm Præceptorii & Commendatario uni, revocato, cedenti, vel decedenti, alii succedant; ac proinde illa perpetua sint saltem vi suæ institutionis.

### ARTICULUS II.

### De eorum Varietate.

#### SUMMARIUM.

19. Beneficium I. aliud Seculare est & aliud Regulare.
20. Regulare in Seculare.
21. Et hoc in Regulare transit præscriptione quadragenaria.
22. Titulo munita, si eâ derogetur Episcopali juri.
23. Deficientibus clericis Secularibus substituantur Regulares, & vicissim.

24. Religiosus eligi potest ad Ecclesiam Cathedrali.
25. Parochie seculares antiquò etiam Monachis.
26. Recentiori Jure solis Canonici Regularibus conferri possunt.
27. II. Aliud Simplex, & aliud Duplex.
28. Duplex vel sunt Curata.
29. Vel Personatus, vel Officia aut Dignitates.
30. Et ha majores aut minores.
31. III. Aliud Titulare, aliud Manuale.
32. Manuale clerico sine omni causa illicitè.
33. Validd tamen aufertur.
34. IV. Aliud Collativum, aliud Electivum, aliud Patronatum.
35. V. Aliud Patrimoniale, & aliud non Patrimoniale.

**B**eneficiorum varietas magna, & 19. permulta sunt partitiones: ex quibus celebriores, & in praxi frequentius occurrentes referre juvabit.

Prima itaque ejus divisio est in Seculare & Regulare. Seculare est, quod clericis Secularibus, hoc est, nullam alicujus Religiosi Ordinis Regulam professis, conferri debet ac solet: cujusmodi beneficia non raro sunt, quorum collatio aut præsentatio ad Regulares spectat: imò etiam aliquando, quæ monasteriis per unionem sunt incorporata: modò conferri clericis secularibus, & per hos debeant administrari. Regulare verò, quod conferendum tantùm est Religiosis & per hos administrandum, ut sunt Abbatia, Prioratus, Canonici Regularis & aliquando Parochiæ: de quibus, licet generali Regulâ traditum solet, Secularia Secularibus & Regularia Regularibus.

Regularibus ordinariè conferenda, *c. Cum de beneficio §. 5. c. Cum singula 32. in 6.* in dubio tamen, beneficium ex prima institutione Seculare potius esse præsumitur, quam Regulare, Gonzalez ad Reg. 8. gloss. 7. n. 1. Garcias p. 1. de Benef. cap. 6. n. 12. & Barbosa de Offic. Episc. alleg. §. 7. n. 167. propter quam præsumptionem, beneficium aliquod Regulare esse, asserenti in dubio incumbit probatio, Mascard. de Probat. Conclus. 172. n. 1. quæ ferè vel ex prima institutione sive literis fundationis, vel ex privilegio, aut quadragenaria præscriptione est desumenda, *c. Cum de beneficio cit.* Ubi

20. Dubium & in praxi mota quæstio est, an ad præscriptionem hanc exigatur Titulus. Eum non exigi, ut beneficium viâ præscriptionis ex Regulari transeat in Seculare, convenit inter omnes. Imò non desunt qui cum Gomez de Expeditivis n. 106. decem annorum præscriptionem sufficere velint; quòd quælibet res ad primævum statum faciliùs revertatur, quam eum exuat: & quadragenariâ præscriptione ex Seculari transeat in Regulare, *c. Cum de beneficio cit.* ut ad e- jus ex isto transitum ad Secularem brevioris temporis præscriptionem sufficere sit necesse. At, licet quadragenariâ opus non sit, ut beneficium Seculare reputetur in dubio, an id per clerici Secularis vel Regularis obitum vacârît: & cum id Regulare aliquando fuisse, non constat; quòd hóc casu Seculare esse præsumatur: casu tamen, quò id ante Seculare fuisse exploratum est, quadragenariâ minori præscriptione Regulare non effici, clarè satis decisum est *c. cit.* quò beneficium Regulare effici asseritur juxta modum præscriptum, hoc est, si præscriptio legitimè completa sive quadragenaria fuerit, ut ibi notant Glossa *fin.* Francus n. 9. & Pirrhing ad hanc Rubric. n. 120. Ratio

est; quia quadraginta annis breviori tempore præscriptio adversus Sacra & Religiosa loca non completur *c. De quarta 4. c. Ad aures 6. de Præscript. §. Auth. Quæ actiones C. de SS. Eccles.*

Eòdem modò seu quadragenariâ 21. præscriptione, titulò non munità, beneficium ex Seculari statu ad Regularem transire *c. cit.* eandem præscriptionem hóc & priori casu admittente, decisum: contrà hóc casu, quadragenariam præscriptionem titulò suffultam esse oportere, desumi videtur *c. 1. de Præscript. in 6.* titulum exposcente, cum præscribenti resistit Jus commune. Utrique huic ejusdem Bonifacii VIII. Constitutioni aliquid tribuendum, & discrimen stauendum est inter præscriptionem status Regularis, currentem adversus Episcopum diocesis, in qua beneficium est situm: & adversus clericum privatum, vel etiam prælatum inferiorem; cum juxta *c. Cum de beneficio cit.* adversus istos quadraginta annorum præscriptio sola sufficiat: sine titulo autem non proficiat adversus Episcopum; ut Ecclesia vel beneficium evadat Regulare, & à Lege istius Jurisdictionali, vel Diocesana tantum eximatur: nisi sit tanti temporis, cujus initii memoria non existit, secundum *c. 1. cit.* ut Joan. Andr. in *c. De monachis 12. n. 11. §. in c. Cum de beneficio cit.* Dominic n. 10. Anchoranus n. 1. not. 4. Francus n. 9. Laiman n. 2. notant & tradunt Sanchez *cit. cap. 29. n. 19.* Vallens. *Lib. 1. de Benef. Tit. 2. n. 6. §. cit.* Pirrhing. n. 121. Ratio est; quia Jus commune, hóc casu resistens præscribenti, soli Episcopo, super utraque illa Lege intentionem in eo fundatam habenti, assistit: non etiam clerico aut etiam prælato inferiori, ferè sicut idem Jus, quoad decimarum intra parochiam alienam provenientium perceptionem præscribenti resistens, soli

Parocho, intra cujus Ecclesiæ fines ex pro-  
veniunt, non prælato vg. extraneo as-  
sistit. Unde, sicut ea duntaxat præscri-  
ptio decimarum, quæ parocho, intra cu-  
jus fines istæ proveniunt, sic etiam ea duntaxat  
præscriptio statûs beneficii Regularis, quæ  
quoad Legum istarum alteram vel utramque  
Episcopo præjudicatur, quadragenariam titulo  
munitam, vel immemorialis temporis possessionem  
expollet.

23. Dixi, beneficia Secularia clericis se-  
cularibus conferenda *Ferè* sive *Ordinariè*;  
quia imprimis Ecclesia sive conventu Re-  
gulari ita deficiente, ut consideratis cir-  
cumstantiis loci, temporis & personarum  
per Regulares reformari & regi non  
possit, Episcopus in eo instituire valet  
clericos Seculares, *c. Inter quatuor 5. de*  
*Religios. domib.* Sicut contra Ecclesiam  
sive Collegium clericorum Secularium ad  
Regularem statum conformari ex ratio-  
nabili causa ab Episcopo posse, ex *c. Ad*  
*audientiam 4. de Eccles. Edif.* constat,  
*Laiman Lib. 4. tract. 2. cap. 4. n. 1. & 3.*  
Dein; quia capella erecta in monasterio  
præsumitur esse Regularis, *arg. c. fin. V.*  
*Præcipimus, de Statu monach.* nisi solita  
sit regi per secularem, *Vallens. cit. Tir.*  
24. *2. n. 6.* Demum; quia Religiosus eligi  
jure permittitur in Episcopum Ecclesiæ  
Cathedralis, etiam Secularis, *can. Unico*  
*18. q. 1. c. Nullus 28. §. fin. de Elect. in 6.*  
*& Clement. 1. eadem Rubr.* ut dictum est  
*Lib. 1. tit. 6. n. 247.*

25. Parochiis etiam Secularibus Religio-  
sos, si necessitas aut utilitas postularet,  
præfici olim potuisse, liquet ex *can. In*  
*parochia 31. & can. Cum pro utilitate*  
*34. Sc. 16. q. 1.* Quod, licet postea ab  
Innocentio III. quoad monachos immuta-  
tum sit, *c. Quod Dei timorem 5. de Statu*  
*Monach.* ut illis præfici sine dispensatio-  
ne non valeant; quoad canonicos tamen

Regulares correctum non est; ut obtenta  
superioris sui licentiâ ad parochias pro-  
moveri possint. Novissimè tamen etiam  
ipsi curati beneficii, monasterio suo non  
uniti, sine Apostolica dispensatione inca-  
paces redditi sunt à Gregorio XIII. qui  
*Noluit licere Canonicis Regularibus Con-*  
*gregationis Lateranensis, etiam delicen-*  
*tia sui Generalis, absque permisso summi*  
*Pontificis assumere curam animarum, et*  
*etiam ad tempus, multòque minis benefi-*  
*cium curatum, tenor est declarationis S.*  
*Congreg. Cardd. quam referunt cit. San-*  
*chez n. 71. Palao n. 10. & apud hos Gon-*  
*zalez cit. gloss. 7. n. 53.*

Verum iste posterioris editionis n.  
55. re, ut ait, maturius consideratâ sustinet  
parochiis Secularibus canonicos illos  
præfici hodièque posse, cum; quòd *c.*  
*Quod Dei timorem cit.* dispositioni de-  
rogatum non sit à Tridentino: imò Con-  
cilium hoc, dum à talibus canonicis, de  
suo in alium Ordinem translatis, benefi-  
cia curata obtineri non posse decernit,  
ista obtinendi jus ad alium non translatis  
apertè firmet, *arg. l. Questum 12. §. 43.*  
*V. Denique ff. de Instru. & instr. leg.*  
tum verò; quòd canonicos illos parochiis  
Secularibus præfici hodièque posse, à S.  
Congreg. declaratum sit, & à Rota deci-  
sum. Neque obstat contraria voluntas  
Gregorii XIII. quòd super ea Lex vel  
Constitutio aliqua nunquam sit publicata:  
atque ideo ea ipsius morte expiravit,  
*arg. c. Si gratiosè 5. de Rescript. in 6.*

Secunda, in Simplex & Duplex: 27.  
quorum illud ad solam assistentiam in  
choro & altaris servitium obligat sine a-  
nimarum cura, jurisdictione, administra-  
tione aut præminentia speciali: cujus-  
modi sunt canonicatus, tam Seculares  
quàm Regulares, & beneficia eorum, qui  
in Ecclesiis Cathedralibus præter canoni-  
cos porciones integras vel dimidias ha-  
bent, Præ-

bent, Præsimonia, Capellanæ, quæ conferuntur in titulum perpetuum, & officium Divinum sine animarum cura annexum habent, & similia. Istud autem sive Duplex specialem aliquam qualitatem, scilicet præminentiam, administrationem, jurisdictionem vel animarum curam adjunctam habet, ut sunt Dignitates, Personatus, Officium, Parochia &c. In dubio beneficium non præsumitur esse Duplex, sed Simplex, & non curatum; quia qualitas præsertim multiplex, ut curatum exigit, regulariter non præsumitur: sed probanda est, *citt. Garcias p. 1. cap. 6. n. 8. Gonzalez gloss. 6. n. 91. & Palao p. 4. num. 7.*

28. Porro Duplicium beneficiorum quatuor genera sunt. Primum sunt Parochia, Plebanatus, Vicaria & Commendæ perpetuæ & curatæ: quas obtinentes præter obligationem ad Horas Canonicas & servitium altaris habent solam administrationem Sacramentorum & jurisdictionem in foro conscientia: interno, atque idcirco ea obtinentes magis propriè & communi usu fere soli & simpliciter curati vocari solent. Cujusmodi seu curatum ut beneficium sit, satis non est; quòd id obtinens regat populum, eique Sacramenta cæteraque Divina ministret: sed insuper necessarium est, ut ea administret nomine propriò & ex obligatione beneficii obtenti, *c. Extirpanda 30. §. Qui verò.* Unde curatus propriè non est clericus, cui Episcopus Sacramentorum administrationem alicujus Ecclesiæ committit, non in titulum, sed in commendam: neque etiam, qui obligationem vel potestatem non habet Sacramenta per se administrandi, sed solummodo nominandi vicarium perpetuum, cui Sacramenta administrandi potestas competit & obligatio imminet ex Vicaria in titulum perpetuum sibi collata, Gomez in *Reg. Can-*

*cell. de Idiomatico q. 11. à n. 4. citt. Gonzalez gloss. 8. à n. 34. & Palao p. 4. n. 6.* qua de re sermo redibit ad *Tit. 29. à n. 10.* Alterum sunt Officia, quæ obtinentes ad 29. administrationem rerum Ecclesiasticarum, sine eminentia tamen & jurisdictione, habent, ut sunt Primicerius, Sacrista sive Thesaurarius, Custos, Archipresbyter. Tertium sunt Personatus, quos obtinentibus honor in Ecclesia sive præminentia sedis in choro, præcedentia in processionibus, prioritas suffragii in Capitulo competit, sine jurisdictione & administratione. Quartum dignitates, habentes præminentiam fermè cum jurisdictione Fori externi conjunctam: quarum quædam sublimiores sunt, & Majores 30. vocantur, ut Episcopatus, Archi-Episcopatus, Primatia, Patriarchatus, Cardinalatus & omnium suprema sive Papatus: alia verò Minores, ut recentis sublimioribus proxima dignitates, v.g. Præposituræ saltem in Germania nostra & Decanatus Cathedralis, Archidiaconatus, cujus officium in multis Ecclesiis exercet Episcopi Vicarius generalis, Abbatia aliaque Prælaturæ, tam Regulares quam Seculares, & Prioratus Conventuales: quos obtinentes toti congregationi Regularium præfunt cum jurisdictione, v.g. Priors Ordinis S. Dominici, Eremitarum S. Augustini, Servorum B.M. Virginis de monte Carmelo &c. Panormit. *in c. De multa 28. n. 21. citt. Palao p. 4. à n. 1. Valens. Tit. 2. n. 4. & Pirrhing à n. 9.*

Tertia in Manuale, quod confertur 31. revocabiliter; ut ad conferentis libitum auferri, vel à patrono revocari valeat: & non-Manuale seu Titulare, quod in titulum perpetuum confertur; ut semel legitime collatum beneficiato, nisi ex iusta Juræque expressa causa, nequeat auferri, *Glossa in Clement. Etsi principalis 2. V. Electione de Rescriptis, Azor p. 2. Instit. lib. 3.*

lib. 3. cap. 1. g. 5. Laiman Lib. 4. tract. 2. cap. 4. n. 5. & cit. Vallens. n. 9. In dubio beneficia Secularia Titularia: Regularia verò Manualia esse præsumuntur, ut Prioratus claustralis, quem obtinentes sub Obedientia Prælati v.g. Abbatis Religiosæ disciplinæ curâ in clauistro gerunt: officia Custodis, Sacristæ, Procuratoris & alia saltem, quæ nec curata nec electiva sunt; quia perpetuitas est qualitas ferè propria beneficii Secularis, Garcias p. 1. cap. 4. n. 6. Ubi

32. Dubium est, an Manualis revocatio ita libera sit, ut neque Jure expressam, neque aliam rationabilem causam exposcat. Illicitam hujusmodi beneficii, saltem animarum curam annexam habentis, revocationem, cum Innocentio in c. fin. Qui Clerici & vocent. & aliis tradunt Suarez Tom. 4. de Relig. lib. 3. cap. 19. n. 2. & Palao disp. 1. cit. p. 5. n. 5. quod cum variatio Rectorum Ecclesiæ fere damnosa: & actio sine rationabili causa facta imprudens sit, revocatio beneficii etiam Manualis, ut honesta sit, rationabilem causam, v.g. utilitatis Ecclesiæ, monasterii, animarum, vel ipsius clerici exposcat.

Non desunt, qui omni hujusmodi causâ destitutam Manualis revocationem valore destitui asserant, ducti c. Cum ad monasterium 6. V. Tales, de Statu monach. & Clement. unic. V. Premissa, de Suppl. neglig. quibus locis Religiosum à beneficio removendi & ad claustrum revocandi facultas Abbati adfruitur verbis, Licet Priores seu administratores hujusmodi liberè possint ad claustrum (cum oportuerit) revocari. Verùm, quia verbò Oportet ad actionis decentiam duntaxat & honestatem rationabilis causæ necessitas denotatur, ut in can. Consideramus 5. q. 1. Glossa V. Oportet, Turrecremata n. 2. & alii ob-

33. servant apud Barbosam usufreq. dist. 242. n. 2. & 3. ex c. & Clem. citr. ex eo, ratio-

nabilem causam ad revocationis honestatem quidem; non etiam ad valorem exigi, ritè inferitur. Unde Manualis revocationem etiam sine causa factam Jure subsistere, & spoliis vel alteri actioni non esse obnoxiam, meritò defendunt citr. Gonzalez gloss. 5. §. 6. n. 46. Garcias cap. 2. à n. 87. Sanchez cap. 29. n. 111. & Suarez n. 21. Ratio perpicua est; quia beneficium Manuale ex sua natura obtineri & possideri nequit, nisi pro tempore, quò id non fuerit revocatum; ut proinde ipsa revocatione id retinendi & possidendi jus amittatur; quia possessio data pro tempore limitato, istò transactò, cessat, l. Statu 11. V. Strichum ff. de Legat. 2.

Quarta in Collativum, Electivum & Patronatum. Collativum dicitur, quod à Prælato Ecclesiastico vel alio collatore liberè, hoc est, ullâ electione, nominatione, præsentatione non præcedente, & cui libuerit, conceditur. Electivum, quod per suffragia capitularium, accedente postea Prælati seu superioris Ecclesiastici confirmatione vel admissione, obtinetur: cujusmodi, etsi alicubi Decanatus & alia quædam beneficia reputentur, propriè tamen Electivorum nomine veniunt solæ Prælaturæ sive dignitates Pastorales, quas obtinentes censentur Ecclesiarum suarum quasi sponsi & capita Collegiorum, quibus præfunt, ut Archi- & Episcopi, Abbates, Præpositi & Priores Conventuales, Tholosanus de Elect. cap. 4. n. 2. Dixi Accedente confirmatione; quia beneficia, quæ per electionem superioris confirmatione non indigentem obtinentur, potiùs Collativa sunt, quàm Electiva: cum ad ea facta electio vim habeat liberæ collationis, Vallens. de Benefic. tit. 2. n. 8. Patronata demum sive Mixta beneficia vocantur, quæ per præviam patronorum præsentationem & subsequenter Episcopi vel alterius Prælati Ecclesiastici institutionem

entionem obtinentur: quò modò Parochi, Vicarii perpetui & multi Beneficiati simplices constituntur, Garcias *cap. 6. n. 14.* & Azor *q. 4. cit.* In dubio beneficium potius Collativum seu liberum esse præsumitur quàm Electivum aut Patronatum; quia Electio & præsentatio non sunt propriæ, sed tantùm accidentariæ qualitates beneficiorum; per easque præjudicatur liberæ provisioni Ordinariorum, ad quos collatio primævo Jure spectabat, *citr. Azor cap. 1. q. 6. Laiman. cap. 10. n. 1. Palao p. 2. n. 5. & Pirrhing n. 16.*

35. Quinta in Patrimoniale & non-Patrimoniale: quorum illud hic nominatur vel à patrimonio, idest, paterna hereditate, quòd à patribus sive avis & majoribus de suo patrimonio id fundantibus apposita sit conditio; ut filiis & aliis descendentibus suis in infinitum conferatur: vel à patria; quòd clerico ex certa civitate, oppido, castro, parochia oriundo, *Si quis idoneus adsit*, debeat conferri: secus non-Patrimoniale præsumitur esse, *citr. Gonzalez gloss. q. 1. n. 3. & 10. Vallens. n. 10. & Pirrhing n. 16. in fine.*

### ARTICULUS III.

## De Beneficiorum libera Collatione.

### SUMMARIUM.

36. Collatio est libera concessio beneficii;  
 37. Jus in re tribuens clerico acceptanti;  
 38. Absenti saltem jus ad rem;  
 39. Ut intra terminum acceptationi præfixum alteri nequeat conferri.

40. Beneficii collatio laici non competit;  
 41. Nisi vi privilegii Apostolici.  
 42. Papa generalis Collator est omnium beneficiorum;  
 43. Quæ nondum vacantia Præventionis;  
 44. Vacantia Concursum;  
 45. Aut Devolutionis jure conferre potest.  
 46. Episcopo Jure competit collatio omnium beneficiorum diocesano-rum;  
 47. Licet necdum sit consecratus.  
 48. Cathedralia aliquando ipse, aliquando Capitulum confert;  
 49. Eriam si ille extra diocesim sit absens.  
 50. De collatione Legati à latere, Capituli sede vacante, Vicarii generalis,  
 51. Cardinalium & Prælatorum, Episcopis inferiorum.  
 52. Beneficia conferre potest sequester,  
 53. Et bona fidei possessor;  
 54. Cujus collatio non revocatur, cum verus collator declaratur.

36. Collationis nomen hòc locò non sumitur latè & generaliter pro quocunq; modo, quò beneficium Ecclesiasticum, etiam necessariò, ab habente potestatem conceditur: sed strictè ac propriè pro gratuita & omnino libera concessione ejusdem vacantis. Liberè autem concedi intelligitur beneficium, quòd clerico idoneo, cui liberit, tribuitur ad arbitrium solius concedentis, nullà electione, postulatione, patroni præsentatione, aut Principis vel alicujus Universitatis nominatione, aut provisione mandatòve Apostolico præcedente: propter quam, cui liberit, beneficium tribuendi libertatem collatio propriè & specificè accepta aliquando

I Donatio

Donatio nuncupatur, *c. Consultationibus 4. de Donat. & c. Quia diversitatem 5. de Concess. prob. &*, postquam à clerico acceptata est, ei jus in re tribuit, etiam ante secutam possessionis apprehensionem, *c. Si tibi absenti 17. & c. fin. de Concess. Prob. utrobique in 6.* sicut presentato institutio, & confirmatio electo, & postulationis admissio postulato, Vallent. *de Benef. Lib. 1. tit. 6. n. 2. & 6.*

37. Quin clerico absenti & ignoranti ab Episcopo facta collatione, licet illi jus in Re, ut suum dici valeat, non tribuatur ante acceptationem: acquiritur tamen jus ad Rem; ut id ante istius acceptationem, reculationemve alteri conferri ab Episcopo aliove collatore non possit, ex Rescripto Bonifacii VIII. *c. Si tibi absenti cit.* ne quidem sub conditione, *Si à priore collatario non acceptetur*, Glossa in *c. cit. V. Personam*. Ratio est; quòd Episcopus aliusve collator ipsa beneficii collatione functus sit officio suo, cujus ratione beneficium conferre potest, ac tenetur, ut locus sit Regulæ *c. In literis 9. de Offic. deleg. & l. Judex 55. ff. de Re judicata.*

38. Neque obstat; quòd beneficii collatio sit quædam ejus donatio, *c. Consultationibus cit.* quæ, licet donatoris consensu expresso facta sit, revocationi tamen obnoxia est, donec à donatario fuerit acceptata, *l. Absenti 10. ff. de Donat. & l. Qui absenti 38. ff. de Acquir. possess.* quia licet donationis rationem habeat respectu personæ collatarii; quòd, cum ista ullum jus ad beneficium non habeat, ipsò præcisè spectatò sit concessio merè liberalis: donatio tamen non est respectu Episcopi vel alterius collatoris; cum iste beneficium non omnino liberà, sed debità & ab obligatione officii determinatà voluntate conferat; idque, omiſſà collatione, sicut aliquam rem propriam, ab ejus donatione abstinendò, donator sibi reti-

nerere non possit; ut mirum non sit, quòd collationem factam, etiam ante acceptationem, nequeat revocare: sed voluntatis suæ declarationem à collatario debeat expectare, Panormit. in *c. Accedens 24. n. 3.* Francus in *c. Si tibi cit. n. 10. cit.* Gonzalez gloss. 26. n. 14. Covarruvias Lib. 3. Var. cap. 16. n. 1. & Barbosa in *c. Si tibi cit. n. 2.* qui tamen n. 14. ex aliorum DD. sensu rectè monet, hujusmodi collatario ad suæ voluntatis declarationem præfigi ab Episcopo posse terminum: quò elapsò, licet ipse sibi factam collationem adhuc acceptare, Episcopus tamen beneficium alteri conferre potest: & si terminò lapsò alteri conferat, antequam acceptata sit collatio prior, isti posterior pravalet.

39. Neque refert; quòd electus in sui electionem utiliter consentire nequeat post triginta dies, ad consensum in eam præstandum sibi concessos; quia triginta dierum terminus ei præfixus est à Jure, *c. Quamvis 6. de Elect. in 6.* cujus lapsus omnino est fatalis: collatario autem terminus præfigitur ab homine, à quo solo ad assensum præstandum præfixus terminus non obstat, quò minus, re adhuc integrà, hoc est, priusquam collator voluntatem suam post lapsum terminum mutaret, & beneficium alteri contulerit, consentire utiliter possit, Glossa in *c. Si tibi cit. V. Terminum*, ubi Francus n. 12. Barbosa n. 10. & Laiman n. 6.

40. Beneficia conferendi jus ac potestatem sanctionibus Canonicis personis duntaxat Ecclesiasticis concessam, res omnino explorata & perspicua pariter solidaque ratio est; quia jus conferendi est potestas spiritualis, quæ à Jure laicis sive secularibus denegatur, *c. Decernimus 2. de Judiciis &c.*

41. An his competere valeat vi consuetudinis seu potius præscriptionis, dubitandi

tandi ratio est; quòd Principibus ac Re-  
publicis secularibus aliquando com-  
petat privilegiò seu indultò Apostolicò,  
*c. Dilectus 34.* & defacto Galliarum Rex  
Ecclesiarum pastore viduarum custo-  
diã, & beneficiorum vacante sede vacan-  
tium collationem spectans jus obtineat vi  
Juris Regaliã, teste Tholof. *Synag. lib.*  
*17. cap. 7. n. 10.* & Gonzalez in *c. Dilectus*  
*cit. n. 2.* Unde, id laicis etiam compe-  
tere posse, videtur vi Consuetudinis seu  
præscriptionis, saltem tanti temporis, cu-  
jus initii memoria non existit; quia ista  
habet vim privilegiì à Principe ex certa  
scientia concessi, *arg. c. Super quibusdam*  
*26. pr. V. Præterea, de V. S. & l. Hoc jure*  
*3. §. 4. ff. de Aqua quotid. §. 4. ff.*

Sed, re accuratius æstimatã, benefi-  
cia conferendi jus laicis ita competere  
non posse evincit paritas cum jure eligen-  
di, quòd ob suam spiritualitatem iisdem  
vi ullius consuetudinis ac præscriptionis  
non competit, *c. Massana 56. de Elect.* ut  
*Lib. 1. Tit. 6. n. 52.* ostensum est: quò  
jure magis spirituale & potentius est jus  
conferendi; cum per collationem accepta-  
tam non ad Rem duntaxat, sed in Re jus  
acquiratur, per ea, quæ in *c. Si tibi ab-*  
*senti cit.* notant Francus *n. 3. cit.* Gon-  
zalez *gloss. 15. §. 1. n. 15.* Garcias *p. 4.*  
*de Benef. cap. 2. n. 1.* Covarruvias *Lib. 3.*  
*Var. cap. 16. n. 3.* & Barbosa in *c. cit. n. 4.*  
Ratio est; quia laicus, seclusò privilegiò,  
non est capax quasi possessionis juris con-  
ferendi, *arg. c. Sacrosancta 51. de Elect.*  
*& c. Causam 7. de Præscript.* sine qua præ-  
scriptio non procedit, *Reg. Sine possessione*  
*3. in 6.* Unde corrui ratio dubitandi;  
quia in iis, quæ sine privilegio possideri  
nequeunt, vim privilegiì non habet præ-  
scriptio temporis, memoriam hominum  
excedentis, Panormit. in *c. Novit 13. de*  
*Judicis n. 22.* etsi, quando cum tali tem-  
pore concurrat fama privilegiì, à sede A-

postolica aliquando obtenti, propter hu-  
jus exhibendi difficultatem laicus in exer-  
cicio juris conferendi sit relinquendus,  
donec eam famam falsam esse constet, ut  
*cit. Lib. 1. tit. 4. n. 52.* dictum est, & cum  
Felino in *c. Causam cit. n. 7.* & Alex. de  
Nevo in *c. cit. n. 8.* docet Laiman in *c.*  
*1. de Elect. n. 15.*

Ex personis Ecclesiasticis beneficia 42.  
conferendi Ordinaria potestas competit  
imprimis summo Pontifici, respectu om-  
nium totius mundi Ecclesiarum ac bene-  
ficiorum Ecclesiasticorum; quòd, sicut  
Universalis omnium Ecclesiarum clericor-  
umque & ipsorum etiam Ordinariorum  
Ordinarius, sive Episcoporum Episcopus,  
sic generalis quoque & supremus dispen-  
sator sit omnium bonorum, & præfer-  
tim Ecclesiarum & beneficiorum Eccle-  
siasticorum, *c. Licet 2. in 6. & Clement.*  
*1. in fine, Ut lite pendente.* Imò ab ipso  
alii Episcopi, in partem duntaxat solici-  
tudinis vocati, sola beneficia vacantia  
conferendi potestatem cum subordina-  
tione acceperint, *can. Imprimis 7. pr. V.*  
*De Episcopi, 2. q. 1. can. Qui se scit. 2.*  
*q. 6. & c. 1. de Concess. præb. non vac.* cum  
ipse, penes quem est potestatis Plenitudo,  
*can. Qui se cit. & c. Ad honorem 4. de*  
*Auth. Pallii etiam non vacantia conferre*  
ac promittere valeat, *c. Licet cit.*

Tres autem modi sunt, quibus be- 43.  
nificia conferre Papa potest ac solet: pri-  
mò quidem jure Præventionis, dandò a-  
licui gratiam Expectativam aut Mandat-  
tum de providendò, seu mandandò ei  
conferri beneficium, quòd proximè est  
vacaturum; hujusmodi enim collatione  
Papa prævenit alios jus conferendi ha-  
bentes; ut ab his etiam ignorantibus  
postea factæ beneficii collationi provisio  
Apostolica præferatur, *c. Dudum 14. in*  
*6.* cujus ratio est partim; quòd Papa ali-  
cui concedendò potestatem conferendi  
benefi-

beneficia vel alium actum exercendi, eâ potestate se non privet: sed penes ipsum major ac præstantior remaneat, Glossa in c. cit. V. Eadem, in addit. ubi Barbosa n. 3. & Laiman n. 3. Unde, si tali provisione Ordinarii collationem antevertat, istâ potior ac præferenda ipsius provisio est, arg. c. Si à sede 31. in 6. partim verò; quia concessio potestatis seu juris conferendi facta ordinario generalis: rescriptum autem Apostolicum, quò beneficii vacaturi collatio alicui faciendâ mandatur, specialis commissio est, & generali prævalet ac derogat, arg. Reg. Generi 34. in 6. quantumvis derogationis specialem non faciat mentionem, c. 1. & c. Pastoralis 14. §. Quoniam, de Rescript. Glossa in c. Dudum cit. V. Sanctiones, & ibi Dominicus, n. 6. Francus n. 7. & Barbosa n. 10. Ubi tamen

Excipienda sunt beneficia juris patronatus, ex fundatione, dotatione vel constructione laicis competentis; cum enim hos prævenire sua collatione Papa non solet, Apostolicæ provisionis literæ super iis expeditæ subreptitiæ forent, si patronatus isti speciali mentione non derogarent, Lambertinus Lib. 1. de Jure Patronat. p. 3. q. 9. art. 2. Covarruvias Practic. cap. 36. n. 1. & Lessius Lib. 2. de J. G. J. cap. 34. n. 36.

44. Secundo jure Concurfus, beneficium in Ecclesia quacunque jam vacans alicui ante inferiorem & ordinarium ejus collatorem conferendò; quia Papa, sicut in jurisdictione, can. Qui se scit cit. sic etiam in collatione beneficiorum quorumcunque cum Episcopis & quibuscunque collatoribus inferioribus concurrat; cum conferendi potestatem istis dandò majorem sibi reservavit, c. Dudum cit. Panormit. in c. Quia diversitatem §. de Concess. prob. n. 5. Unde inter quemcunque collatorem inferiorem & Papam

locus est præventioni; ut ab utrolibet eorum prius facta collatio alteri præferatur. In dubio tamen, an collatio prius à Papa vel ab inferiore collatore facta sit, melior est conditio collatarii beneficium possidentis. Si verò hoc ab iis provisorum neuter possideat, præferendus est, cui collatio facta est à Papa; propter majorem istius prærogativam & ampliorem potestatem, ex Rescripto Bonifacii VIII. c. Si à sede 31. in 6.

Excipiendus tamen est casus, quò in rescripto Apostolico sola dies apposta: Episcopalis autem provisionis literis expressa etiam esset hora; cum enim per expressionem horæ tempus magis determinetur, ejusque probatio eâ, quæ horæ expressione caret, certior sit, ita factam ab Ordinario collationem, Apostolicæ prævalere, cum Glossa in c. cit. V. Nec apparet, Rebuff. de Pacif. poss. n. 299. Calladuro Decis. 20. de Præbend. Gonzalez ad Reg. 8. Proem. §. 3. à n. 100. & aliis volunt Barbosa de Offic. Episc. alleg. 57. n. 15. & Palao Tract. 13. disp. 2. p. 13. n. 4.

Tertiò, jure Devolutionis, conferendò beneficium, postquam id propter culpam aut negligentiam inferioris collatoris, vel non intra legitimum tempus, vel personæ indignæ beneficium conferentis, factum est caducum & ad sedem Apostolicam devolutum, ut Lib. 1. Tit. 10. à n. 23. est dictum.

46. Post Papam beneficiorum collatores Ordinarii sunt Episcopi: qui, sicut & Archiepiscopi, Primates, Patriarchæ super beneficiorum propriarum quisque diocesum collatione Jure communi fundatam habent intentionem ac præsumptionem, can. Regenda, 10. q. 1. can. Omnes Basilica, can. Nullus, 16. q. 7. c. 1. de Campell. monach. & c. Cum ex injuncto 12. de Hæret. ibi, Ad cuius, Episcopi, officium tam institutio quam destitutio Sacerdotum noscitur

noscitur pertinere. Unde, qui ex aliis conferendi potestatem in illorum propriis diocesis sibi vendicant, probare debent, eam sibi competere jure speciali, ut cum Panormit. in c. cit. notant n. 2. cit. Gonzalez §. 1. Proem. n. 21. Garcias p. 5. cap. 1. n. 51. & Barbosa de Offic. Episc. alleg. 57. n. 1. quamvis hæc Episcoporum potestas per Reservationes Apostolicas plurimum sit coarctata.

47. Non requiritur autem in Episcopo, ut sit consecratus; quia collatio non est actus Ordinis: sed Jurisdictionis, quæ obtinetur per confirmationem, c. Transmissam 15. de Elect. Garcias cit. p. 5. cap. 4. §. 3. pr. De confirmatione tamen, literis Apostolicis capitulo exhibitis, constare debet, Extravag. Injunctæ 1. inter Com. de Elect. Vallens. de Benef. Lib. 1. tit. 9. n. 13. saltem in locis non valde remotis ab Urbe; quia extra Italiam in concordia electis administratio (alienatione duntaxat excepta) ac proin collatio quoque, dispensativè permessa est c. Nihil 44. V. Cæterum de Elect. ad quam Rubricam hac de re à n. 272. est actum.

48. Dubium est, an Episcopo competat collatio præbendarum Ecclesiæ Cathedralis. Ex variis Opinionibus Interpp. ac DD. aliorum, hæc de re variè sentientium, verisimilior est, quæ non solum Lectoris Theologiæ & Pœnitentiarii institutionem: sed cæterarum quoque præbendarum, provisioni Apostolicæ non reservatarum, collationes communi Jure spectatò adstruit Episcopo, propter can. 5. c. cit. pro ipso aperte militantium generalitatem: licet à Jure illo passim recessum, & ex fundatione, privilegio, præscriptione earum collatio aliquando competat Capitulo: aliquando hoc & Episcopus eas conferant per turnum, sive in earum collatione al-

ternent: vel certis mensibus ipse, aliæ illas vacantes conferat capitulum: aliquando ex conventione statuto vel consuetudine capitulares singuli vel ex ipsis antiquiores sibi assignatos habeant certos menles, intra quos vacantium canonicatum collationem faciunt nomine capituli, Glossa in c. fin. V. Statuto, in 6. Garcias cit. p. 5. cap. 4. n. 72. Azor cit. cap. 25. q. 20. & Pirrhing ad hanc Rubric. n. 84.

Dubium etiam est, an beneficii collatio ab Episcopo fieri queat extra diocesim. Ratio dubitandi est; quòd conferri nequeat ab eo existente Romæ, ut teste Covarruvia Lib. 3. Var. cap. 20. n. 9. Praxis docet. Sed, etsi hoc ita sit, & cum primum Urbem est ingressus, sicut Proconsul imperium deponit, l. fin. ff. de Offic. Proconsul., sic Episcopi jurisdictionis quasi suspendatur, & Contentiosà extra diocesim uti nulpam possit: uti tamen, sicut Proconsul extra Urbem ac provinciam suam, l. Omnes 2. ff. eadem Rubric. sic etiam Episcopus extra suam diocesim & Romanam Curiam existens potest jurisdictione Voluntariâ, Glossa fin. in c. Novis 7. de Offic. Legat. cujus actus est collatio beneficiorum: cum peragatur sine judiciali cognitione ac strepitu, quò aliena jurisdictione turberetur; ut cum Doctore cit. docent Azor p. 2. Instit. lib. 6. cap. 25. q. 12. & Piascius Prax. Episc. p. 2. cap. 5. art. 3. n. 37. Ea tamen Episcoporum potestas plurimum coarctata est per Apostolicas Reservationes §§. seqq. declarandis.

Cum Episcopis, & quibusvis Ordinariis in beneficiorum conferendorum potestate de Jure communi concurrat Legatus à latere; ut in provincia suæ Legationis hunc inter & illos locus sit præventioni, c. fin. de Offic. Legati in 6. & e. Si à sede 31. hanc Rubric. in 6. saltem

extra Germaniam nostram: in qua huic ejusmodi Legatorum juri verisimiliter derogatum, ostendi *Lib. 1. Tit. 30. n. 24.*

§1. Eandem, quam in sua dioecesi Episcopi, in Ecclesiis suorum Titulorum beneficia vacantia conferendi potestatem obtinent S. R. E. Cardinales, etiam Presbyteri ac Diaconi: juxta dicta *Lib. 1. tit. 31. n. 31.* uti & Prælati quidam plerò jure exempti, etiam quoad territorium, clerum ac populum; ut in illo & in hos obtineant jurisdictionem quasi Episcopalem, Panormit. in *c. Lateranensi 31. n. 14.* & Pirrhing ad hanc *Rubric. n. 86.*

Aliis verò Prælati, Episcopò inferioribus, ejusmodi jurisdictionem Ordinariam non obtinentibus, conferendi potestas competere potest privilegio Apostolico & consuetudine, vel potius præscriptione, ut colligitur ex *c. fin. de Instit. & c. Ex renore 13. de Concessi.* quadragenariâ titulò munitâ vel immemorabili, si ea processit contra Episcopum, intra cujus dioecesi beneficia sunt sita, *arg. c. 1. de Præscript. in 6.* Quid Episcopali sede vacante Capitulum Cathedralè circa beneficia valeat, statuetur *Tit. 9. à n. 26.* Quid verò istius aut Episcopi Vicarius possit, *Lib. 1. Tit. 28. n. 39.* est explicatum.

§2. Eandem beneficia conferendi potestatem etiam sequestro rei, v.g. dignitatis, illa conferendi jus annexum habentis, tam Voluntario quàm Necessario, competere, ostendi *Lib. 2. Tit. 17. à n. 17.* ibidèmq; cum *cir. Garcia p. 5. cap. 6. n. 13.* monui, à sequestro laico ea conferri non posse: nisi super hoc indultò Apostolico sit munitus.

§3. Dubium est de juris conferendi possessore. Non quidem fidei malæ; quia à tali factam collationem jure non subsistere, constat; cum rei malâ fide pos-

sessæ fructus non faciat suos; *c. Gravis 11. de Restit. spoliat. & l. Mala fidei 3. C. de Condiç. ex lege.* Sed bonæ, à quo facta collatio, an ita subsistat, ut ab eo provifus à beneficio removeri nequeat etiam casu, quò postea pronuntiat, proprietatem sive ipsam conferendi jus ad alium pertinuisse, dubitandi ratio est; quòd proprietatis, cum de ea constat, absorbeat possessionem, *c. Cum dilectus 6. de Causa possess.* & fructus extantes restituendi sint proprietario, vincenti possessorem.

Nihilominus à bonæ fidei possessore 54  
re provifum, postquam sibi factam collationem acceptavit, tali etiam casu non removendum, ex *c. Querelam 24. de Elect. c. Cum olim 7. junctâ Glosâ V. Duobus, de Causa possess. & c. Consultationibus 19. de Jure Patron.* delumi solet & periuadet ratio, partim; quòd, sicut præsentatio & electio juris præsentandi aut eligendi, sic juris conferendi fructus sit collatio, Felinus in *c. Cum Beriboldus 18. de Sent. & re judic.* Cum ergo fructus spectet ad bonæ fidei possessorem, *l. Bone 48. ff. de Acquir. rer. dom. & §. Si quis à non domino 35. Instit. de Rerum divis.* ab isto facta, & à provifio acceptata collatio subsistet, quantumvis proprietatem ad alium pertinuisse, postea constet: partim verò; quia eò ipso, quòd collatio sit acceptata, non amplius extare: sed consumptus censetur fructus juris conferendi; cum ejus acceptatione provifio jus in re acquiratur, *c. Si sibi absenti 17. in 6.*

Neque interest, an collatio ab ejusmodi juris conferendi possessore ante vel post litis, super ejus juris proprietate sibi motæ, contestationem facta sit; quia lite contestata & pendente in possessoris præjudicium nihil innovandum & bonæ fidei possessor juris conferendi commodò, suæ pos-

sue possessionis jurisque possessi fructu, ut est collatio, privandus non est, ut de eligendi juris bonæ fidei possessore, ostendi *Lib. 1. tit. 6. n. 56.*

Neque obstat; quod proprietas possessionem absorbere asseratur *e. Cum dilectus cit.* quia id verum tantum est de actibus futuris sive collationibus faciendis, postquam constitit de proprietate; non de antea factis, *citt. Azor q. 16. Garcias p. 5. cap. 5. n. 57. & Palao Tract. 13. disp. 2. p. 28. n. 2.*

## ARTICULUS IV.

## De Beneficiorum Reservatione, &amp; Germaniæ Concordatis generatim.

## SUMMARIUM.

55. Reservatione beneficia à Papa expressè,
56. Affectione tacitè avocantur.
57. Reservationes aliæ Generales, aliæ Speciales sunt.
58. Earum introductarum varia causa.
59. Aliæ continentur corpore juris,
60. Aliæ Regulis Apostolicæ Cancellariæ,
61. Et aliæ Germaniæ Concordatis.
62. Quæ non omnes Imperii Romani;
63. Sed huic subjectas Germania Ecclesias,
64. Nonnullis exceptis, afficiunt,
65. Et Papæ morte non expirant.
66. Iis contravenire nequeunt Germaniæ Ordinarii.
67. Et, licet de sua potestate Plenitudine valeat,
68. Vix unquam tamen Papa solet.
69. Concordata obligant subditos, ea non acceptantes.

70. *Contra ea vim non habet præscriptio & Consuetudo:*

71. *Ni sit immemoralis,*

72. *Vel Concordata solam interpretetur.*

73. *De Concordatis Nationis Gallicanæ,*

74. *Et Regni Polonici.*

**R**eservatio propriè dicta est Ali-  
cujus beneficii vacaturi per  
habentem ad id potestatem ad  
se facta avocatio, Æneas de  
Falcon, *de Reservat. q. 1. pr. n. 1. Azor*  
*p. 2. Instit. lib. 6. cap. 36. q. 1. & Val-*  
*lenf. Lib. 1. de Benef. Tit. 7. n. 6.* Un-  
de Reservata dicuntur beneficia, quorum  
collationem superior, præcipuè summus  
Pontifex ita sibi vindicat; ut Ordinarii  
collatoris inferioris manus liget, quò  
minus ab ipso ea conferri validè possint,  
*c. Si eo tempore 45. de Elect. in 6. c.*  
*Licet 2. in 6. & Extravag. Ad Romani*  
*14. inter com. hic.*

Reservatis similia sunt Affecta: cu-  
jusmodi propriè dicuntur beneficia, quo-  
rum collationem Papa sibi vindicat, non  
verbis expressis, sed tacitè sive factò a-  
liquo, seu manum suam illis apponendò  
ad effectum conferendi: sicut contingit,  
si beneficium alicui conferat invalidè ob  
latens impedimentum clerici, vel ob aut  
subreptionem impetrationis: vel, si a-  
licui provideri mandet de certo beneficio  
vacaturo: vel, si acceptet ejus in suis ma-  
nibus renuntiationem, aut ad electionem  
vel collationem veteri procedi; nam et-  
iam hæc beneficia, quamdiu affecta  
manent, ab Ordinariis collatoribus va-  
lidè non conferuntur. Ratio est; quia  
ob prærogativam supremæ potestatis  
conveniens est, ut in causis, quibus ma-  
num Papa apposuit, alii se non intro-  
mittant; ideoque, sicut cum de causa, co-  
ram inferiori iudice pendente, ipse co-  
gnoscere,

55.

56.

gnoscere, vel aliquem per collationem  
vg. Ordinis Subdiaconatus ordinare cap-  
pit, iudex in causa amplius procedere,  
*c. Ut nostrum 56. de Appellat.* & Episco-  
pus inferior ordinationem per Diacona-  
tus ac Presbyteratus collationem perfec-  
re non potest, *c. In distribuendis 12. de  
Temp. Ordinat.* sic etiam beneficium, cui  
ad effectum collationis manus semel ap-  
posita, antequam, eius collatione ef-  
fectum semel assecuta, denuo vacet, a-  
lius conferre non potest fere instar bene-  
ficii reservati: à quo tamen differt; quòd  
beneficium reservatum evadat per actum  
seu dispositionem verbalem & expressam:  
affectum verò tacitè, seu ipsò manus ap-  
posita factò: & quòd reservatio perpe-  
tua, affectio autem solummodo tempo-  
ranea sit &, Apostolicà provisione effe-  
ctum sortita, cesset, Simonetta *de Reser-  
vat. q. 64. n. 8.* & Gonzalez *in Reg. Can-  
cell. 8. gloss. 52. n. 4.*

57. Porro reservatio imprimis alia Ge-  
neralis est, alia Specialis. Priori plura  
beneficia in communi, sive plura unius  
rationis seu generis, vg. omnes Ecclesie  
Cathedrales & Abbatie, beneficia in  
Curia aut certis mensibus vacantia, vel  
familiarium Papæ, Cardinalium &c. Po-  
steriori verò beneficia certa, vel ratione  
loci, vg. unum, ut Præpositura, vel plu-  
ra aut etiam omnia alicujus certæ Ec-  
clesie reservantur: vel ratione personæ,  
vg. si Petro beneficium in Ecclesia, cum  
vacaverit, Papa jubeat conferri, Garcias  
*p. 5. de Benef. cap. 1. à n. 58.* Azor *cit.  
cap. 36. q. 3.* & Vallens. *cit. Tit. 7. n. 7.*  
Deinde alia clausa in Corpore juris, &  
alia extra Corpus illud est, ut ex mox  
dicendis amplius constabit.

8. Causæ Reservationum, quæ olim  
in usu non erant, cum tempore intro-  
ductarum ac propagatarum variæ sunt.  
Et primò quidem ac præcipuè placue-

runt; ut constaret, omnium dignitatum,  
personatum, aliorumque beneficiorum  
Ecclesiasticorum plenariam dispositio-  
nem pertinere ad Romanum Pontificem,  
*c. Licet 2. pr. in 6. & Clement. 1. in fine,  
Ut lite pend.* ab eoque beneficia confe-  
rendi potestatem, dum inferioribus præ-  
latis est concessa, non abdicatam, *arg.  
can. Qui non scit, 2. q. 6.* sed majorem  
ac potentiorē sibi reservatam, *c. Du-  
dum 14. V. Nos igitur, in 6.* Deinde; ut  
Papa haberet ampliorē facultatem sibi  
servientes aut alios de Ecclesia beneme-  
ritos, vel ad interpositas istorum preces  
alios remunerandi: aut ad sedem Apo-  
stolicam suppliciter recurrentibus; ne in  
Clericalis status opprobrium mendicare,  
aut sordidum aliquem questum exercere  
cogantur, paternè providendi, Glossa  
*in Extravag. Execrabilis 4. V. Reser-  
vamus, inter com. cit.* Simonetta *q. 3. n. 5.*  
& Cochier *ad Reg. Cancell. 8. Comment.  
n. 9.* Præterea, ut inferiores Orbis  
Christiani Ecclesie ac personæ Ecclesia-  
sticæ majorem communicationem con-  
junctionemque haberent cum Ecclesia  
Romana, earum Matre: & cum summo  
Pontifice, omnium Capite & Univer-  
sali atque Ordinario Pastore, *can. Per  
principalem, q. 3. Lessius Lib. 2. de J.  
& I. cap. 34. n. 48.* & Cochier *cit. n. 9.*  
Et demum fortassis etiam; ut tolleretur  
confusio aliæque haud sanè levia incom-  
moda, orta ex eo; quòd sæpe idem be-  
neficium à Papa & Ordinario inferiore,  
jure Concurrentibus utentibus, seque mutuo  
prævenientibus, impetraretur: & col-  
lationes non rarò præcipitarentur sine  
delectu personarum, Flamin. *Lib. 1. de  
Resignat. q. 10. n. 53.* & Engel *ad hanc  
Rubr. n. 8.*

His aliisque incommodis ut occur-  
rerent, summi Ecclesie Antistites & Ec-  
clesiarum ac beneficiorum Ecclesiastico-  
rum Col-

sum collatores plurima per Orbem beneficia suæ dispositioni reservârunt, c. Licet 2. c. Statutum 3. c. Presenti 34. hæc Rubr. in 6. Clement. 1. Ut lite pend. Extravag. Pia 1. Et si 3. Execrabili 4. Ad Regimen 13. Ad Romani 14. hæc Rubrica inter Communes &c. appositò decretò irritante; ut, à quocunque inferiori collatore, etiam per inculpabilem Juris aut Facti ignorantiam, conferrentur, collatio esset irrita: ita tamen; ut beneficiatus, si in dimittendo, quod sibi collatù est, beneficio reservato se difficilem non exhiberet, liberè reverti valeret ad priora beneficia, intuitu ejusmodi collationis fortè resignata: quantumvis hæc aliis collata jam fuissent; ita enim disertè scripsit Bonifacius VIII. c. Si postquam 13. & c. Si beneficia 20. in 6.

60. Prædictis & Corpore Juris clausis reservationibus cum tempore accesserunt aliæ, expressæ Regulis Cancellariæ Apostolicæ, ab Innocentio VIII. constitutis, auctisque ab ejus Successoribus; & quòd cujusque Papæ morte expirent, sub cujusque summi Pontificatus initium, sive die cujusque ad istius apicem assumptionem proximè sequenti cum Extravag. Ad Regimen cit. solitis publicari, Garcias p. 5. de Benef. cap. 1. n. 90. & 92. & Cochier ad Regul. Cancell. pr.

61. Regulas has tempore, & in Germania nostra autoritate semper antecesserunt à Nicolao V. 14. Calend. April. 1447. edità Constitutione, quæ incipit Ad sacram comprehensâ, & inter sedem Apostolicam per Joannem S. Angeli Diaconum Cardinalem à Latere legatum ex una, & Fridericum III. Imp. ac Principes Germaniæ Ecclesiasticos & Seculares ex altera parte, inita Concordata, concernentia dignitatum ac beneficiorum Ecclesiasticorum reservationes & collationes, secundum Extravag. Execrabili &

Ad regimen cit. quarum prioris Joannes XXIII. posterioris verò, & ipsi Concordatorum tenori cum quibusdam modificationibus seu limitationibus insertæ, Benedictus XII. fuere conditores. Modificationes, sive ipsi insertas Extravag. cit. limitationes singillatim referunt cit. Cochier Reg. 1. n. 23. Barbosa de Offic. Episc. alleg. 27. à n. 63. & Pirrhing ad hanc Rubric. n. 357. Eadem Nicolai V. sive Concordatorum Constitutione statuitur modus Annatarum, occasione provisionum beneficalium solvendarum, §. Placet similiter. Et demum additur, ejus observantiam duraturam deinceps, donec eam in futuro Concilio de ipsius Nationis Germanicæ consensu contingat immutari, §. De cæteris, in fine. Unde

Dubium oritur, quinam memoratis Germaniæ Concordatis adstringantur, Ratio dubitandi est; quòd inter sedem Apostolicam & Nationem Germanicam non generaliter totam: sed inter illam & istius Imperatorem ac nonnullos Principes Ecclesiasticos & Seculares pacta, laudata, approbata, conclusa & acceptata fuerint cum clausula; Ut ipsis conclusa Ordinatio collationum beneficiorum reservatorum per alternos menses possit per dictam Nationem publicari, & omnes, qui eâ gaudere voluerint, tempus congruum habeant eam acceptandi, tunc à Calendis Junij currere incipiat &c. §. De cæteris cit. Unde illos solos, inter quos inita fuerunt: & ex aliis eos duntaxat obligare videntur, qui eorum ordinatione voluerint gaudere. Rationi huic id saltè tribuendum, ut à Concordatorum Ordinatione eximantur imprimis Itali, eorum etiam ditiorum, quæ tanquam feuda Imperio Germanico quidem concluduntur, Germanicæ tamen sive Alemanicæ Nationis nomine non veniunt. Deinde ex Germanis, qui cum Imperio Germa-

Germanico Concordatorum initorum tempore nihil commune habuerunt; cum siue Pactionis, siue publicæ Ordinationis legisque vis eis adstruatur, ad ipsos non porrigantur; quod pacta solos pacificentes obstringant, l. *Si unus* 27. §. 4. V. *Ante omnia ff. de Pactionibus*. l. 1. §. 6. C. *Res inter alios acta*, & non subditi extra conditoris territorium existentes ejus legibus non adstringantur, c. *fin. de Constitut.* in 6. & l. *fin. ff. de Jurisdic.* Wamelius Tom. 1. *Consil.* 255. à n. 10. Zypæus ad *hano Rubric. Consult.* 3. & Nicolarts in *Concord. Tit.* 3. *sub.* 1. §. 2. hinc concludentes iis, de quibus sermo est, Concordatis non teneri provincias Belgii, excipientes tamen Ecclesias Nivellesensem & Cameracensem tanquam subiectas Imperio, Levenfem & Thenensensem tanquam eidem & Ecclesiæ Leodiensi subiectas & pristina privilegia retinentes, postquam ab illo sunt avulsæ.

63. Cæteras verò Nationis Germanicæ & Imperio subiectas Ecclesias omnes Concordata per se afficere, & secundum ea faciendas beneficiorum Ecclesiasticorum provisiones, defendunt Branden in *Concord. q.* 3. à n. 5. Zypæus *Analys. ad Rubric. de Institut.* n. 11. & *cit.* Nicolarts §. 3. & suadet ratio; quod pactionis non qualiscunque, sed publicæ communique nomine initæ, & Apostolicæ pariter atque Imperialis Ordinationis seu legis habeant rationem: & quæ istius rationem habent, & publicæ tranquillitatis atque unionis intuitu communi omnium nomine Imperatoris ac Principum potiorum consensu approbata sunt, legis instar sine contradictione custodienda ab omnibus sint. Ita certè ipsa Concordata, antequam aliqua ab hæresi inficerentur, ab omnibus Ecclesiis observata & custodita, *cit.* Branden n. 5. eorumque observantiam supremâ authori-

tate utrâque promotam, testantur Bullæ & Brevia Apostolica SS. PP. Clement. VII. & VIII. nec non Urbani VIII. & Imp. Maximil. I. & Caroli V. Edicta, quorum tenorem refert aut allegat *cit.* Nicolarts à §. 4.

Neque cum his pugnat Concordatis inserta clausula de Acceptatione; quia facultas istâ concessa Concordatorum non diminutionem, sed augmentum siue extensionem, & eos tantum spectat, qui licet Germanicæ Nationis nomine veniant, Imperii tamen superioritatem, quod jura Regia possiderent, illorum initorum tempore non recognoscebant, ut Bohemiæ Rex, Archidux Austriae & similes, Leoninus *Consil.* 50. *cit.* Zypæus *Consult.* 3. & Nicolarts §. 11.

Dixi etiam, *Per se*; cum propter Ecclesias non paucas per invalecentem hæresin à Fide Catholica & Romanæ Ecclesiæ unionem abstractas: tum propter alias, specialibus, antiquioribus & favorabilioribus Concordatis à Sede Apostolica impetratis munitas, ut de Leodiensibus Nicolarts §. 11. cum Zypæo, & iste etiam de Herbipolensi & Bambergenfi Ecclesiis perhibet *Consult.* 3. *cit.*

Dubium secundò est, an Concordata vim suam retineant Sede Apostolicâ vacante. Ratio dubitandi oritur à paritate *Extravag. Regimini cit.* & Cancellariæ Apostolicæ Regularum, quibus inductæ beneficiorum reservationes morte Papæ expirant; ut omnes mensis Ordinarii evadant, & iste, Sede Apostolicâ vacante, beneficia mensè quocunque vacantia valeat conferre, donec *Extravag. cit.* & Regulæ illæ, aliquò ad summi Pontificatus apicem evectò, fuerint publicatæ, Gonzalez in *Reg. 8. Proem. §.* 5. n. 40. & Garcias *cit. cap. 1. n. 645.* Sed alia ratio est Germanicæ Concordatorum; hæc enim, iisque inductam beneficiorum

fictorum reservationem Papæ morte non expirare, sed esse perpetua diserte exprimit tenor Concordatorum, afferentium suæ ordinationis observantiam *Duraturam deinceps, nisi eam in futuro Concilio de ipsius Nationis Germanicæ consensu contingat immutari, §. De ceteris & §. Placet, in fine*; ut proinde Germanicæ Ordinarii in mensē Apostolico, sicut plenā, sic & vacante sede, vacantia ante trimestre lapsum nequeant conferre, *citt. Cochier Proem. n. 21. Barbosa alleg. § 7. n. 63. Nicolarts Tit. 1. dub. 8. §. 14. & Pirrhing cit. n. 357. in fine.*

66. Dubium & difficilis resolutionis controversia tertio est, an Concordatis, quoad dignitatum & beneficiorum Ecclesiasticorum reservationem, alternamve collationem & solutionem Annatarum valeat derogari. Rationem dubitandi suggerunt ipsa Concordata: quorum §. *De ceteris* Papa, se per quamvis dispositionem, sub quavis verborum forma factam faciendamve, Ordinarium aliorumque collatorum provisiones non impediturum, diserte promittit: eodemque, & §. *Placet similiter* de ipsis placita ordinatione collationum beneficiorum non reservatorum per alternos menses, & de declarata observantia Annatarum subdit, eam *Duraturam deinceps, nisi in futuro concilio de ipsius Nationis Germanicæ consensu aliter fuerit ordinatum & eam contigerit immutari.* Unde Concordatis neque ab Imperatore aut Germanicæ Nationis Ordinariis, neque ab ipso Papa sine alterius partis consensu derogari posse, inferitur; quia Concordata, ut ipsum nomen indicat, rationem habent Pactionis publicæ utrinque acceptatæ, & Contractus ab utraque parte inviolabiliter observandi, *c. 1. & c. Quaaliter 3. de Pactionibus* & quia ad pactionum, præsertim publicarum, observantiam o-

bligat lex Naturalis, *l. 1. ff. de Pactionibus & l. In his §. §. 2. ff. de Solutionibus* Principes non minus, quam subditos adstringens, *c. Novit 13. de Judiciis & c. 1. de Probat.* Lessius *Lib. 2. de I. & I. cap. 17. n. 27. & Molina Tract. 2. de I. & I. disp. 257. n. 1.* quia Principi Deus quidem leges, non etiam pacta & contractus subjecit, pronuntiatum est Baldi *in cap. 1. de Natura Feudi.*

Sed hæc non ita de Papa, sicut de Germanicæ Ordinariis & ipso Imperatore, explorata sunt; cum his Concordatorum Ordinationi contravenire volentibus foriter obstant: minus tamen quam ipsos ligent manus Papæ: qui, cum de beneficiis cæterisque juribus Ecclesiasticis, iustā causā poscente, disponendi potestatem à Christo domino immediate acceptam, nisi Papatui renuntiandō, à se nequeat abdicare, ut *arg. c. Dudum 14. §. Nos igitur in 6. rectè observant Suarez Lib. 4. Defens. Fidei cap. 34. d. n. 22. & aliis relatis Diana p. 5. tract. 1. resol. 14. iustā causā exigente & de potestatis suæ Plenitudine Concordatis poterit contravenire, Laiman Lib. 4. tract. 2. cap. 10. n. 3. Gonzalez in Reg. 8. gloss. 24. n. 26. Branden in Concord. 9. §. n. 5. Cochier in Reg. cit. gloss. 11. n. 21. Nicolarts Tit. 3. dub. 3. §. 5. & Wagnereck in Concord. §. In aliis not. 1. quod Papa ipsorum Concordatorum tenore non obscure insinuavit, cum §. *Item placet cit. Archi- & Episcoporum Electiones, si Canonicæ fuerint, se Confirmaturum, ait, insertā clausulā, Nisi ex rationabili & evidenti causa de digniori & utiliori persona duxerimus providendum.**

Neque cum his pugnat natura contractus, partim; quia Concordata privilegii Apostolici potius quam contractus rationem habent; cum spiritualia sub con-

67.

sub contractum propriè dictum & commercium non cadant: & per Concordata Papa de jure suo potiùs aliquid remiserit, vel potiùs aliquid communicarit, quàm acquisiverit, ex decisione Rotæ in *Bna Canonicatis Leodienfis* 15. Martij 1610. quam cit. Nicolartus §. 6. refert, partim verò; quia summus Princeps ex justa causa derogare valet pactionibus cum subditis suis initis, ut cum Felino in *c. Novit. 13. de Judiciis n. 8.* & aliis docent Suarez & Diana 1. cit. & ipsis etiam Germaniæ Concordatis per Indultum Apostolicum Primariarum precum Imperialium, uti & aliud Lovaniensi Universitati concessum expressè derogatum, ostendit cit. Nicolartus §. 9.

68. Sed, ut hæc ita sint, & Papæ potestatis suæ Plenitudine utendi & Concordatis derogandi facultas omnis adempta non sit, istâ tamen ipsum non facillè usurum; atque illis sine expressa & specifica mentione nunquam derogaturû, perspicuè declaratum est à Paulo V. *Constitut. quæ incipit Ex pastoralis, 5. Calend. April. 1613.* edita, quâ ait, nec suæ unquâ mentis nec Prædecessoris sui fuisse, Concordatis derogare: & literas à Prædecessore suo in ipsorum præjudicium obtentas pro ob-vel subreptitiis habendas. Idem quoque declaravit Gregorius XIII. quadam *Constitutione 6. Junij 1572.* publicata asserens, se, sub quacunque verborum forma scripserit, concordata lædere nolle, apud Simonettam *de Reservat. q. 99. n. 28. & cit. Cochier gloss. 11. n. 23.* Unde

69. Dubium quartò, & non minùs præjudiciosa magisque impedita resolutionis controversia est de Concordatorum acceptatione, & non usu, usive ipsorum tenori contrario. Et acceptationem quidem sive subditorum in ea legitime publicata consensum, sicut ad cæ-

teras Apostolicas Sanctiones, sic ad ipsa quoque, ut obligationem inducant, non necessarium, liquet ex antè dictis & traditis *Lib. 1. tit. 2. n. 72.*

Nou-usu etiam usive contrario, seu consuetudine legitime præscriptâ iis derogari ullatenus posse, cit. Branden *q. 2. n. 4. Cochier Gloss. 1. n. 5. in fine Nicolartus cit. Tit. 3. dub. 2. §. 3. & DD.* alii, ab isto §. 4. congesti negant, cum; quòd generatim reservationibus Apostolicis derogandi vim ullam non habeat præscriptio & consuetudo: tum verò; quòd Concordatis appositum sit decretum seu clausula irritans, *Si quid secus à quovis quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.* Sed hæc sanè levia sunt; cum enim consuetudine legitime præscripta derogari valeat aliis legibus humanis etiam Ecclesiasticis, *c. fin. de Consuet.* eaque derogatum sit non paucis, actus contrarios irritante clausula munitis, non apparet, cur derogari nequeat Constitutioni, beneficia quadam reservanti Apostolica provisioni, etiam munita clausula irritante.

70. Quare his melior ea ratio est; quòd consuetudo exigat consensum legislatoris, *l. De quibus 32. in fine ff. de LL. Glossa fin. in c. fin. de Consuet.* ubi Panormit. *n. 13. & Suarez Lib. 7. de LL. cap. 1. à n. 6.* Papæ autem consensum in consuetudinem Concordatis contrariam desiderari, exploratum sit non solum ex ipsa Concordatorum Constitutione, disertè asserente, *Ea perpetuè duratura, nisi in futuro Concilio aliter fuerit Ordinarum:* sed inde etiam; quòd Concordatorum observantiam summi Pontifices & Imperatores urgeant, eorumque non-usus seu usus contrarii exceptiones non admittant. Quibus accedunt variæ Constitutiones Apostolicæ, præsertim Clementis VII. quæ incipit

Admo.

*Admonet, edita Calend. Julii 1534.* quas-  
cunque collationes contra formam Con-  
cordatorum factas faciendæ esse irritas,  
nullumque ad beneficia titulum tribue-  
re, asserentis: eorumque possessores ha-  
bentis pro intrusis & malæ fidei possesso-  
ribus; ut ipsis neque Regulæ de Annali  
& Triennali possessore, neque de Concor-  
datis non receptis exceptio profint: &  
Innocentii X. quæ incipit *Zelo domus Dei,*  
*26. Novemb. 1648.* publicata & declarans  
omnia, quæ contra Concordata statuta  
fuerint, irrita viribusque & effectu vacua  
fuisse & perpetuò fore: eisque præscri-  
bendi causam etiam longissimo & immem-  
oriali tempore non acquiri.

71. Verùm, quia Innocentiana hæc Con-  
stitutio, ut à Colendissimo Præceptore &  
Antecessore meo P. Weils in *Concord.*  
*assert. 6.* refertur, solummodo impetit  
statuta, Juri Ecclesiastico derogandi mul-  
tò minorem, quàm consuetudo, imò  
nullam vim habentia, juxta dicta *cit. Tit.*  
*2. n. 34.* Clementina autem in minoris  
duntaxat, non longissimi & immemorialis  
temporis non usu usque contrario fundatæ  
consuetudini ac præscriptioni resistit, i-  
stiusque exceptione repulsam non constat,  
damnare non ausim Opinionem Lud. Eng-  
gel *ad hanc Rubric. n. 52.* Concordatis  
derogari posse, asserentis consuetudine  
seu præscriptione tanti temporis, cujus  
initii memoria non existit, præsertim  
cùm tali præscriptione niti videam Sere-  
nissimæ & Electoralis Domus Bavaricæ  
jus nominandi seu potius præsentandi cle-  
ricos ad dignitates & beneficia in utraque  
provincia sua extra Cathedrales Eccle-  
sias & civitates Episcopales vacantia in  
mense Apostolico, ut patet ex *Recessus  
concordat.* inter Serenissimam illam Do-  
mum & Reverendissimos ac Cellissimos  
DD. Bavaricæ diocesum Ordinarios an-  
no 1583. *initorum epp. 4.* Verbis hæc Jus

mit Päpstlicher Heiligkeit Monath /  
so Ihr Durchleucht præscribirt. Pro  
eadem præscriptione vel consuetudine et-  
iam facit ratio, partim; quòd ejusmodi  
consuetudo ac præscriptio Concordatis  
derogans ullò Jure expressè non reprobe-  
tur: partim verò; quòd Concordatis de-  
rogari valeat indultò seu privilegiò Apo-  
stolicò; & hòc ipsis derogatum fuerit  
per Primarias preces Imperiales & In-  
dultum concessum Universitati Lovani-  
ensi: explorati autem Juris Regula sit, ea,  
quæ obtinentur privilegiò, acquiri etiam  
posse consuetudine ac præscriptione tem-  
poris immemorialis, si huic non resistat  
Jus & præscribens capax sit possessionis,  
ut *arg. c. Super 26. V. Preterea de V. S.*  
*Et l. Hoc jure 3. §. 4. ff. de Aqua quorid.*  
*Et est.* cum Innocentio in *c. Novit. 13. cit.*  
*tradit cit. Gonzalez Gloss. 33. n. 4. & alii*  
*apud Barbolam in c. Super cit. n. 7.*

Quin etiam Ordinariæ seu consue- 72.  
tudini seu præscriptioni Concordata sal-  
tem interpretandi vis sua constat; ut,  
cùm, an beneficium aliquod v.g. dignitas,  
officium vel administratio sedis Aposto-  
licæ dispositioni reservata, alternæ vel  
soli ejus aut inferioris collatoris provi-  
sioni obnoxia sit, an ex aliquo primi anni  
fructus & quæ quantitate solvendi sint,  
Concordatorum tenor dubium relinquit,  
aut inter DD. controversatur, id quod  
receptum est usu, Jure permissum censea-  
tur; quia dubii Juris consuetudo optima  
interpres habetur *c. Cum dilectus 8. de  
Consuet.*

Concordatis, à Germanica Natione 73.  
in usum jam deductis, successerunt simi-  
lia, à Natione Gallicana cum sede Apo-  
stolica inita: quibus post sanctionis Pra-  
gmaticæ, circa beneficiorum provisiones  
in Regno illo contra decreta Apostolica  
vigentis, abolitionem inter Leonem X.  
Pontificem Maximum & Franciscum I.  
K 3 rotius

totius Gallia Regni nomine convenit; ut Rex in posterum ad Archi- & Episcopatus, Abbatias, Prioratus & monasteria nominationes, & secundum has Papa collationes faceret: cæteras verò dignitates & beneficia in quovis mense vacantia collatores Ordinarii, Graduatarum præcipue personarum habitâ ratione, quibusdam liberè, aliis ad Universitatum nominationem conferrent: Gratia verò Expectativa & reservationes beneficiorum generales ac Speciales à sede Apostolica in posterum nullæ emanarent. Super quibus *Constitutionem*, quæ incipit *Primitiva*, à memorato Papa 14. *Calend. Jan. 1516.* editam Petrus Rubuffus uberrimè eoque eruditissimò Commentariò illustravit.

74. Non multò post Gallicana, eòdem Papâ Romæ sedente & Sigismundo Bathoreo in Polonia regnante, inter sedem Apostolicam & Nationem Polonicam inita, & à Clemente VII. *Constitutione*, quæ incipit *Cum singularem*, 5. *Calend. Decembr. 1526.* publicatâ cum ampliatione confirmata sunt Concordata, quæ cum Germanis in multis conveniunt, & Ecclesiasticæ pariter Regiæque legis & publicæ pactionis instar hodièque custodiuntur.

**ARTICULUS V.**  
**De Dignitatibus & Beneficiis in Germania Reservatis.**

**SUMMARIUM.**

75. Talia sunt I. *Vacantia per obitum alicujus Cardinalis:*  
76. II. *Variarum Officialium Papa:*  
77. III. *Verorum, ejus duntaxat, Com-*  
*mensalium:*

78. IV. *Legatorum, Collectorum, The-*  
*saurariorum Apostolicorum &c.*  
79. V. *Vacantia apud Sedem seu in Cu-*  
*ria,*  
80. *Ubi audientia causarum & litera-*  
*rum Apostolicarum expeditio est.*  
81. *In Curia vacant beneficia, intra duas*  
*dies,*  
82. *Et, dum illam sequuntur, deceden-*  
*tium:*  
83. *Uti & resignata in manibus Papæ.*  
84. *Et per sententiam privationis ab*  
*eo latam amissa.*  
85. *Curata, in Curia sede vacante va-*  
*cantia, Ordinarius statim:*  
86. *Cætera verò post mensem conferre*  
*potest.*  
87. VI. *Vacantia per translationem,*  
*depositionem &c. à Papa sa-*  
*ctam.*  
88. *Secundum aliquos quævis, amissa*  
*ipso jure.*  
89. *Verius ista reservata non sunt.*  
90. *Etiamsi ob Hæreses,*  
91. *Vel Simonia Confidentialis crimina*  
*sint amissa.*  
92. VII. *Vacantia per assecutionem di-*  
*gnitatis &c. à Papa obtenta:*  
93. *Nisi ista obtenta sit virtute Expecta-*  
*tiva,*  
94. *Vel Episcopatus sit merè Titularis,*  
95. *Vel obtentus collatione Archiepisco-*  
*pi Saluburgensis,*  
96. *Vel cum eo, ad beneficia perpetuò re-*  
*tinenda, Papa dispensarit.*  
97. *Electis beneficiorum resignationem*  
*ante Confirmationem permit-*  
*tentium,*  
98. *Et negantium DD. Opiniones ac*  
*fundamenta:*  
99. *De hisque sensus Auctoritatis.*  
100. *Resignare beneficia electi nequeunt*  
*post Confirmationem.*  
101. VIII. *Archi- & Episcopatus &c. ad*  
*quos ce-*

quos celebrata electio minus Canonica,

102. IX. *Eaque cassata, vel postulatio repulsa &c. fuerit.*  
 103. X. *Prima dignitas in Ecclesia Collegiatis, & secunda in Cathedralibus:*  
 104. *Nonnullis tamen speciali Jure exceptis.*

75. **P**ost inita & supremâ autoritate confirmata Concordata, sedis Apostolicæ dispositioni reservatæ in Germania nostra sunt Primò dignitates & beneficia Ecclesiastica, vacatura per obitum alicujus S. R. E. Cardinalis, Concord. §. *Placet nobis, Extravag. ad Regimen 13. inter com. hac Rubr. & Cancell. Apistol. Reg. 1.* Quare, si in Germania etiam nostra Episcopus Cardinalis obeat, Capitulum Cathedralis successorem eligere validè non poterit: nisi sibi providerit de Indulto speciali. Atque hæc causa fuit, cur post obitum Sermi. & Eminentissimi Philippi, ex Bavaricæ Ducibus Episcopi Ratisbonensis & S. R. E. Cardinalis, à Capitulo Cathedrali celebrata electio de persona R. m. & J. U. m. Sigismundi Friderici Fuggeri Ferrariæ in Consistorio Apostolico fuerit cassata: licet postea eidem personæ, quantumvis nulliter electæ, propter eximias dotes ac merita à summo Pontifice de eadem Ecclesia fuerit provisum, Branden in cit. Concord. q. 6. n. 11.

76. Secundò, dignitates, beneficia & officia, quæ vacant per obitum Officialium sedis Apostolicæ: non tamen in Germania indiscriminatim omnium, ut *Extrav. & Reg. 1. cit.* sed certò numero expressorum, Concord. §. *Placet cit.* scilicet Vice-Cancellarii, Camerarii, septem Notariorum, Auditorum literarum contradictarum & Apostolici Palatii causarum

Auditorum, Correctorum, centum & unus Scriptorum literarum Apostolicarum & viginti quatuor Penitentiarie præfatæ sedis & viginti quinque Abbreviatorum, & aliorum viginti quatuor Capellano- rum sedis ejusdem in Epitaphio, hoc est, Syllabo seu Albo Curialium, descripto- rum: quorum tamen beneficia non, ut *Extravag. & Reg. cit.* perpetuò, sed *Quamam ipsa officia actualiter tenebunt,* sedis Apostolicæ provisioni sunt reservata; ut adeò, depositò officio, reservatio ipsorum beneficiorum cesset, juxta *Constitutiones* Eugenii IV. quæ incipit *Pastoralis, pridie Calend. Novemb. 1441.* & Pii IV. quæ incipit *Laudanda, Calend. Febr. 1458.* editas: & reservata non sint beneficia, quæ ante susceptum officium & post hoc dimissum tenebant, cum morerentur, *Wagnereck in Concord. Exegeti §. 1. n. 3. & Pirrhing ad hanc Rubr. n. 357. limit. 3.* Atque ob hanc reservationem, mortuò in Urbe Franciscò Oranò S. Palatii Auditore, tres Præposituræ, quas in diocesi Leodiensi obtinuit, quantumvis aliàs essent Electivæ, collatæ sunt à summo Pontifice; cum, quòd in Curia, tum verò; quòd per obitum alicujus sedis Apostolicæ Officialis vacarint, Branden cit. q. 6. n. 5.

Tertiò beneficia Commensalium; 77. non quidem alicujus S. R. E. Cardinalis, ut *Cancell. Reg. 3.* sed solius Papæ: & istius etiam non, ut *Reg. & Extravag. cit.* indistinctè omnium, etiam fidorum, sed verorum duntaxat: quales ultra Officialis priori casu enumeratos sunt sedis Apostolicæ Referendarii, Protonotarii, Auditores Rotæ, Cubicularii, Secretarii, Subdiaconi, Acolythy & alii Officiales, qui ex Palatio Apostolico panem seu victum habent, in eoque summo Pontifici defer- viunt & custodiam habent, sive in eodem palatio habitent & comedant, sive non: quos aliòsque referunt, & à commensalibus &

libus & familiaribus Papæ sicutis distinguunt Simonetta *de Reservat.* q. 35. à n. 25. Gonzalez *in Reg.* 8. gloss. 51. à n. 16. & Barbosa *de offic. Episc.* alleg. 57. à n. 106. Hujusmodi tamen etiam beneficiorum reservationem Leodii solum durare, quamdiu tales Papæ veri commentales actualiter existunt: & cum tales esse desinunt, cessare, desumitur ex tenore Constitutionum Apostolicarum Eugenii IV. n. 2. & Pii II. n. 4. relatarum à Nicolart *in Concord.* Tit. 3. dub. 1. §. 14. & 15.

78. Quartò dignitates ac beneficia quoruncunque sedis Apostolicæ Legatorum, Collectorum fructuum & proventuum, Cameræ Apostolicæ debitorum, & in terris Romanæ Ecclesiæ Rectorum ac Thesauriorum deputatorum seu missorum, ubicunque eos antequam ad Curiam Romanam redierint seu venerint, rebus eximi contigerit ab humanis, §. *Placet* & *Extravag. cit.*

79. Quintò vacantia apud sedem §. & *Extravag. cit.* Qua in re tamen dubium controversumque est, an idem sit vacare apud Sedem & in Curia. Sunt enim DD. qui inter ea non unum, & illud præcipuè agnoscant discrimen; quod vacatio apud Sedem per obitum in ea: in Curia autem aliis etiam modis contingat. Sed discrimen hoc non congruit Concordatis: quibus, cum dignitates ac beneficia apud Sedem quoquò modò Vacatura reservantur, vacationem apud Sedem non obitu duntaxat, sed aliis quoque modis induci, aperte supponitur. Idem non congruit Rescripto Clementis III. c. *Licet* 2. in 6. ubi utrâque phrasi disertè intelligit idem; cum enim prius vetuisset; ne Ecclesias & beneficia, *Quæ apud sedem deinceps vacare contigerit, aliquis præter Romanum Pontificem conferre alicui præsumeret, mps aliis quidem, sed ejusdem significa-*

tionis verbis subjecit exceptionem: *Nisi sit ei super conferendis iisdem in Curia vacantibus specialis & expressa auctoritas ab ipso Pontifice attributa:* quæ exceptio, si de beneficiis apud Sedem vacantibus non esset, ac proinde apud Sedem & in Curia vacare non esset idem, aperte inepta foret; quòd esset de re, à Regula generali diversa.

Dubium tamen ulterius est, quid Curia nomine intelligatur. Quidam enim cum Panormit. *in c. Ego* N. 4. de *Jurejurando* n. 16. & Felino *ibid.* n. 9. eò locum, in quo Papa præfens est. Alii eum, in quo, sive præfente sive absente Papâ, ejus Cancellaria, causarum & literarum Audientia est, intelligunt: idque desumunt ex *Clement. Ne Romani* 3. de *Elect.* cujus §. *Sanè* nomine loci Audientia Curia notatur. In hoc de vocis significatione dissidio, licet saltem quoad effectus alios, v.g. ut Papæ utrobique servientes omnibus curialium prærogativis gaudeant, ut in *Constitutione* Pauli III. cujus meminit Garcia p. 5. de *Benefic. cap. 1.* n. 396. una eademque curia in utroque loco constitui videatur; ut in uno loco in *Capite*, in altero in *Corpore* esse intelligatur: idemque quoad reservationem asserentium Opinio verisimilis sit: quoad hanc tamen diceesium Ordinariis favorabilis & satis probabile etiam est, *Curia & Sedis Apostolica* nomine venire locum, in quo causarum atque literarum Apostolicarum audientia & expeditio est, ut cum Navarro de *Datis & promiss.* nor. 17. n. 29. & aliis à *cit.* Garcia n. 388. relatis censuit laudatus P. Weiss *in Concordat.* n. 26.

Porro, tanquam apud Sedem & in Curia vacantes, reservata imprimis sunt dignitates etiam Episcopales & beneficia quæcunque eorum, qui quoruncunque negotiorum causâ ad Curiam Apostolicam acces-

- tam accedunt, ab eâve recedunt: si in Curia, aut etiam extra eam in locis, ultra duas dietas legales, sive iter duorum dierum, computatis pro uno viginti Italicis, arg. l. Vicena 1. ff. Si quis cautionibus, sive quatuor aut ad summum quinque milliariis Germanicis, moriantur, Concordat. §. cit. Glossa in c. Præsenti 34. in 6. V. Legales cit. Gonzalez Gloss. 43. n. 45. Wagnereck in c. cit. §. Ultra duas & Pirrhing ad hanc Rubric. n. 335. Deinde beneficia Curialium, qui Curiam ab uno loco in alium translata sequentes, in itinere vel loco, unde receditur, forsitan infirmi remanentes, vel peregrinationis, infirmitatis seu recreationis aut alia quacunq; ex causa ad quavis loca, ultra duas dietas non remota, & in quibus proprium domicilium non habent, secedentes, rebus humanis eximuntur; quia isti ex animi destinatione aut negotiorum seu causarum qualitate continuant curialitatem, Wagnereck in c. Præsenti cit. §. Si eos. Præterea vacantia per resignationem factam in manibus Papæ; hæc enim vacationem in curia inducit, etiam si mediante procuratore, extra eam constitutò, fiat, Joan. Andr. in c. Licet cit. n. 7. ubi Anchoran. n. 1. Flaminus de Resignat. Lib. 9. q. 14. à n. 1. Simonetta q. 28. à n. 1. Covarruvias Prætic. q. 36. n. 4. & Gonzalez gloss. 12. §. 1. n. 42. Ratio est; quòd beneficium, cui, ejus resignationem in manibus suis factam admittendò, manum Papa apposuit, in Curia vacasse intelligatur, cit. Gonzalez Gloss. 52. n. 7. & Barbosa de Offic. Episc. alleg. 57. n. 22. qui provisioni Apostolicæ etiam reservata, ajunt, beneficia in manibus Episcopi proprii in Curia resignata. Demum, quorum vacatio inducitur per sententiam privationis, contra præsentem seque defendentem, vel contumaciter absentem in Curia latam; quia beneficium ibi va-

care intelligitur, ubi fit actus, quò inducitur privatio, Francus in c. Præsenti cit. §. Sanè n. 4. Garcias cit. cap. 1. n. 73. & Barbosa alleg. cit. n. 24.

Excipiuntur tamen parochialia & 85. cætera beneficia curata, in Curia per obitum aut aliter vacantia, sede Apostolica vacante, & de quibus antè vacantibus Papa ante obitum nihil disposuit; hæc enim Ordinarii collationi permittuntur à Bonifacio VIII. c. Si Apostolica 35. in 6. ex speciali ratione favoris Ecclesiarum & animarum, quibus diuturna vacatio damnoisa & periculosa esse solet, c. Ne pro defectu 41. de Elect. Quæ c. cit. dispositio, licet beneficia non actu, sed habitu duntaxat curata ob cessantem in eis rationem, & beneficia actu curata, sed propter inferiorum collatorum negligentiam ad sedem Apostolicam devoluta, & quæ dictam curiam aliâve ratione quam ob dictam vacationem reservata sunt, non comprehendat, Franc. in c. Si Apostolica cit. n. 2. & Garcias cit. cap. 1. à n. 104. mutata tamen & correctâ non est per Extrav. Pia 1. inter com. quia hæc ejusdem Bonifacii VIII. & ante c. cit. edita; ac proinde ipsi potiùs, quam c. cit. dispositioni per ipsam est derogatum. Neque per Extravag. Etsi 3. cit. quia Constitutio hæc à suo conditore Clemente V. ad beneficia apud Sedem Apostolicam ad præsens, & sui Pontificatus durantis tempore Vacantia expressè restricta est; ut adeò cum ipso expirârit. Neque etiam per Extravag. Ad regimen cit. quia hujus dispositiones generales per c. Si Apostolica cit. specialem, & animarum favorem coucurrentem, de parochialibus & ad tempus Apostolicæ sedis vacantis tempus restrictam dispositionem restringuntur ac limitantur, arg. Reg. Generi 34. in 6. cit. Garcias à n. 99. Wagnereck in c. cit. Pirrhing n. 338. & Weifs. n. 37.

Cætera

36. **C**etera etiam dignitates ac beneficia ratione vacationis apud Sedem seu in Curia, non alia ratione reservata, si Papa intra mensem a vacationis inducta, non ejus primum nota, die computandum de ipsis non provideat, postea ab Ordinario collatoribus per seiplos aut Vicarios suos generales conferri valent, ex decreto, relato *c. Statutum 3. in 6.* quod Gregorius X. in Concilio Lugdunensi *c. Licet* cit. rigorem ita temperavit; ut ejusmodi beneficia conferre non Papa tantum, sed etiam Ordinarius collator possit, locusque sit preventioni: & sive ab ipso sive ab Ordinario collatore, prius facta collatio postea ab alterutro facta provisioni preferatur, Franc. in *c. Statutum cit. n. 6. cit.* Garcias n. 97. Barbosa in *c. cit. n. 7. & ibi* Wagnereck §. *Demum*, ubi *c. cit.* dispositioni locum hodieque esse ejusque speciali, *Extravag. Pia & Ad Regimen cit.* dispositionibus generalibus non derogatum, ait; quod etiam Zerola *Prax. Episc. p. 2. V. Reservatio §. 7.* Laiman in *c. cit. num. 7. & cit.* Pirthing n. 332. docent.

37. **S**exto dignitates ac beneficia vacantia per depositionem, privationem, translationem autoritate sedis Apostolica factas, Concord. §. *Placet cit. & Extravag. Ad Regimen cit.* ratio est; quod hujusmodi dignitates ac beneficia apud Sedem sive in Curia vacare intelligantur, ex quo eorum vacatio per depositionis vel privationis sententiam in Curia latam, vel in ea decretam translationem est inducta, Laiman *Lib. 2. tract. 2. cap. 11. n. 1. §. Quinto.* Ex hac certe causa superioribus annis Capitula Cathedralia Ratisbonense ac Frisingense Ecclesis suis, per R. mi & Ser. mi Electoris Colonienfis, Principis & Episcopi sui ad Leodiensem Ecclesiam translationem vacantibus & propterea reservatis, ad Episcopi electionem proce-

dere non potuissent, nisi eligendi facultas sedis Apostolica speciali gratia eis fuisset indulta.

Dubium & maximi praedicti quæstio est, an reservata sint dignitates ac beneficia, vacantia per privationem ob crimen inductam ipso Jure. Affirmat id Branden in *Concord. q. 10. n. 8. & Cochier ad Reg. 8. gloss. 7. n. 19. casu 18.* hujusmodi beneficia in Curia vacantibus accedentes cum Flaminio *Lib. 11. de Resignat. q. 8. n. 6.* ea ducto ratione; quod eorum privatio per sententiam in Curia latam inducatur, hoc ipso; quod in Curia conditum & publicatum sit seu Constitutio, delicto ipso facto contrahendam beneficiorum privationem annectens, Atque ex hac causa DD. *cit.* sedis Apostolicae dispositioni reservata volunt beneficia vacantia ob non factam debito tempore resignationis publicationem; Uti & per crimina hæreseos & Simoniam confidentialis; quod istorum rei beneficiis suis privati sint ipso Jure, *c. Ad abolendam 9. V. Presenti, de Hæresicos & Constituit. Pii IV. quæ incipit Romanum, 17. Calend. Novemb. 1564. & Pii V. quæ incipit In tolerabile, Calend. Junii 1567.* publicatis.

Sed hac in re locus est à DD. agnita distinctioni inter sententiam declaratoriam criminis, beneficiorum privationem inducentis; vel enim ea à Papa ejusve Curia aut ab aliquo per rescriptum Apostolicum delegato, vel à dioecesis, Ordinario est lata?

Si prius, beneficia reservata sunt ipsis Germaniæ Concordatis, disertè reservantibus beneficia vacatura per depositionem, privationem &c. *Per Nos*, id est, Papam seu *Autoritate nostra* in Curia vel per delegatos factas & in antea faciendas subtileet.

Si posterius, ea reservata, cum Rebuffo in *Reg. Cancell. 24. aliis 26. & Simonetta*

monetta de Reservat. q. 99. negant Laiman in c. Licet cit. n. 8. Engel ad hanc Rubric. n. 18. & Weils in Concord. n. 23. Ratio est; quia beneficia, ipsò Jure vacantia ob crimen, Extravag. Ad Regimen cit. & in Concordatis non reservantur in specie; cum ipsorum ulla mentio expressè non fiat; neque etiam in genere, sive sub generali reservatione vacantium in Curia; quia per privationem in ista factam ea duntaxat beneficia vacare intelliguntur, quæ alicui (vel etiam pluribus determinatis personis) præsentii sèque defidenti aut contumaciter absentis in pœnam criminis per sententiam sunt adempta: vel is declaratus est reus criminis, ejusmodi privationis pœnam inducentis, ut colligitur ex eo; quod, si per privationem solò Jure inductam vacantia essent reservata, opus non fuisset speciali reservatione beneficiorum ipsò Jure vacantium ob crimen hæresis; ac proinde supervacanea esset Constitutio Pii V. ea sedi Apostolicæ reservantis; cum iis hæreticus ipsò Jure privatus sit V. Præsenti cit. Accedit; quod, si Jus Ecclesiasticum beneficiorum privationem decernens vacationem in Curia & reservationem induceret, reservata essent omnia beneficia, quæ alterius incompatibilis affectuione, contractu matrimoniali, Religionis professione, vita militari &c. amittuntur; cum istorum omnium privatio, ipsò factò contrahenda, Jure Ecclesiastico sit decreta, c. De multa 28. de Præb. & dignit. c. 1. c. Quod à re 3. de Cleric. conjug. c. Beneficium 4. de Regular. in 6. c. fin. junctâ Glossâ V. Redierint, de Cleric. non resid. quod à Germaniæ nostræ DD. sensu & Ecclesiarum usu seu praxi est alienum. Sed hinc

90. Aliud, & ipsum quoque non modici præjudicii dubium nascitur, an Germaniæ Ordinarii conferre valeant beneficia ejus,

in quem Hæreseos criminis declaratoriam sententiam in mense Apostolico ipsi protulerunt. Negant hoc quoque Branden & Cochier l. cit. quod hæretici beneficia reservata sint cit. Constitutione Piana, eaque Constitutio etiam afficiat Germaniam nostram: quod Branden cit. n. 8. nervosâ ratione evinci existimat; quia ex una, Papa per Concordata nec potuit sibi ligare manus, quò minus in criminis vg. hæreseos reos pœnam privationis beneficiorum cum istorum reservatione statuere queat: ex altera verò parte, eam pœnam in criminis hæreseos reos Pius V. statuit Constitut. cit. (hoc ipsò; quòd Romæ publicata sit) non minus Germanicam quàm cæteras Nationes afficiente: sicut ipsam quoque afficiunt constitutiones, beneficia ob non factam publicationem & Simoniam Confidentialem vacantia reservantes: quantumvis multis annis post Concordata sint publicata.

Sed rationis istius nervus fortis non est; quia, esto Papa concordatis ex justa causa & de potestatis Apostolicæ Plenitudine valeat derogare, eorum tamen specialium & in pactione publica fundato Juri derogare velle non censetur, nisi id clarè exprimat: quod per constitutiones, beneficia ob hæresis & Simoniam Confidentialis crimina vacantia sine ulla Concordatorum mentione reservantes, factum non est; cum speciali, præsertim in pactione publica fundatâ, dispositioni ac privilegio per generalem, sive antè sive postea editam, ordinationem non derogetur; arg. c. 1. de Rescript. & Reg. Generi 34. in 6. præsertim, si speciali nullâ contrariâ dispositione sine privilegiatâ consensu se derogaturum, utriusque conditor promisit, sicut Papa fecit §§. De cæteris. Ita DD. pro prioris dubitationis resolutione allegati.

Neque in contrarium facit; quòd  
L. 2. ob qua

ob non factam publicationem reservata beneficia conferre Germaniæ Ordinarii non possint, juxta dicta *Lib. 1. tit. 10. n. 118.* quia de his id dictum est; quòd ea propter factam in manibus Papæ atque ab isto admissam resignationem vacant in Curia.

91. Neque etiam; quòd, ne à Pio V. facta reservatio beneficiorum amissionum per Simoniam Confidentialem Galliam, ampliora, quàm sunt Germaniæ, Concordata habentem, afficeret, Sixti V. speciali indultò sit obtentum; quia indultum hoc in effectu declaratorium est. Neque refert; quòd eò Sixtus asserat, constitutiones, beneficiorum ob Simoniam vacantium reservatorias, à se relaxari; quia de improprie dicta & declarationis vim habente relaxatione est exaudiendus: quòd modò *Irritare & Absolvere* in Jure quandoque idem est, quòd actum esse irritum aut aliquem vinculo non ligatum declarare, *Glossa in c. 1. V. Relinquenda, de Cleric. conjug. & in c. Pervenit. 2. V. Absolvimus, de Jurejurando, ubi Zælius n. 47. & Engel cit. n. 8. ad 3.*

92. Septimò dignitates ac beneficia auctoritate Apostolicâ promotorum ad Patriarchales, Archi- & Episcopales Ecclesias & regimina monasteriorum: nec non vacantia per assecutionem pacificam alicujus Prioratûs, Dignitatis, Personatûs aut alterius Beneficii vel Officii Ecclesiastici, à Papa sive literarum Apostolicarum auctoritate immediatè obtenti vel obtinendi, §. *Placet nobis cit. ad finem & Extravag. ad Regimen cit.* quâ, omisâ & concordatis expressâ dictione *immediatè*, tacitè excepta & Ordinariorum collatorum provisioni permisâ sunt beneficia, quæ vacant per assecutionem v.g. dignitatis auctoritate Apostolica solum mediatè v.g. à Legato à latere vel ab executore Mandati de providendo alicui de benefi-

cio proximè vacaturo collatæ; *Wagnerck in Concord. §. 1. n. 4. & Pirrhing cit. n. 357. limit. 5.* Ratio reservationis beneficiorum, vacantium per assecutionem dignitatis &c. à Papa immediatè obtentæ, ea est; quòd talia beneficia in Curia vacare intelligantur. Unde ad Episcopatum promoti & quibuscunque aliquod beneficium, cum uno vel pluribus aliis incompatible, à Papa in pluralitate non dispensante confertur, eorum beneficia omnia antè obtenta Apostolicæ dispositioni reservata sunt etiam in Germania nostra, *cit. Garcias p. 11. cap. 6. n. 5. Laiman in c. Licet cit. n. 7. Cochier ad Reg. cit. n. 2. Nicolars in Concordata Tit. & dub. 1. §. 23, & Weis in Concord. num. 29.*

Neque obstat; quòd in Germania nostra Archi- & Episcopatus sint Electivi, *Concord. §. Item Placet;* quia vacatio beneficiorum electi ad illos non inducitur ipsâ electione, sed istius primùm confirmatione; quâ factâ ad Episcopatum assumpti beneficia, tanquam vacantia in Curia, conferuntur: licet ad effectum, ut eorum jam amissionum possessionem provivis apprehendere valeat, exigatur; ut assumptus Episcopatum etiam quoad pacificam & fructiferam possessionem adeptus, vel in culpabili mora possessionem capiendj sit, *Panormit. in c. Cum in can. 7. de Elect. n. 6. Garcias cit. cap. 11. num. 7. & 8. & Laiman in c. Licet cit. num. 7.*

Excipiuntur tamen primò beneficia, quæ vacant per assecutionem pacificam dignitatis aut alterius beneficii Ecclesiastici virtute gratiæ Expectativæ, à sede Apostolica obtentæ & sortitæ effectum; talia enim, licet *Extravag. ad Regimen cit.* inductæ reservationis generalitate etiam ipsa comprehendantur, Concordatis tamen excepta & Ordinariorum collationi

collationi liberæ relicta sunt, §. *Placet cit. ad finem*; ne collatores isti nimium gravarentur, si liberè conferre non possent beneficia vacantia virtute ejusmodi gratiæ, quæ Concordatorum initorum tempore frequentiores erant, quàm post decretum S. Synodi Tridentinæ *Sess. 24. cap. 19. de Reformat.*

94. Excipiuntur secundò beneficia promotorum ad Episcopatus Titulares in partibus infidelium: quales in Germania nostra sunt eorum, qui Episcoporum vices in Pontificalibus gerunt, & vulgo *Suffraganei* nominantur; cum enim isti Episcopatum suorum possessionem & administrationem non habeant, & per eos non stet, quò minus eas consequantur, ipsorum beneficia per promotionem ad ejusmodi Episcopatus nec vacant, nec reservantur, *arg. c. Cum in cunctis cit. S. Cum verò, Flaminio Lib. 3. de Resignat. q. 1. n. 89. Simonetta de Reservat. q. 27. n. 7. Cochet ad Reg. 24. n. 26. & Barbosa de Offic. Episc. alleg. 57. n. 34.*

95. Excipiuntur tertio in eadem Germania promoti ad unum ex quatuor Episcopatus, quos ex speciali sedis Apostolicæ indulto confert Romanus ac Cellissimus Princeps Archiepiscopus Salisburgensis; cum enim ad hos provisione Apostolicâ non promoveantur, eorum beneficia *Extravag. ad Regimen & Concord. §. Placet cit.* reservata non erunt, ut probè notat Engel *ad hanc Rubric. n. 35.*

96. Excipiuntur ab aliquibus quarto beneficia, quæ ad Episcopatus, per suæ electionis Apostolicam confirmationem aut hujusmodi provisionem aliam, promoti retinent ex speciali gratia seu dispensatione Papæ. Ista tamen Simonetta *cit. q. 27. n. 7.* & alii adnumerant reservatis. Ego interesse existimo, an cum ipsis ad beneficia ad tempus duntaxat, vel perpetuò retinenda sit dispensatum: eâ-

que priori, non etiam posteriori casu reservatis accendenda. Ratio prioris est; quòd eò casu concessa videantur in commendam solum temporalem, quæ reservationem non tollit; cum ista, si aliud Jure expressum non sit, tamdiu duret, donec per concessionem beneficii in titulum fuerit consummata & consecuta effectum. Posterioris autem; quia ea, quæ ex dispensatione perpetuò retinentur, quasi novâ collatione in titulum concessa, eaque concessione reservatio consummata censetur. Quare priori casu, tempore, ad quod retentio indulta est, exactò, beneficium ad Papam: posteriori verò promoti morte vacans beneficium, quod ex dispensatione retentum erat, ad inferiorem collatorem pertinere, verisimilius censet *cit. Weiss. n. 32.*

Dubium & in praxi agitata controversia est, an Cathedralis Ecclesiæ decanus aut Canonicus in Episcopum electus, antequam à sede Apostolica confirmetur, decanatum vel canonicatum resignare valeat in manus capituli, & hoc eos conferre. Cui ansam præbet, quòd Cancell. Apostol. *Reg. 24.* hòc casu decanatus, canonicatus &c. sedis Apostolicæ provisioni reserventur; & propterea quæcunque eorum præviâ resignatione factæ collationes ac provisiones irritæ declarentur.

Hæc tamen Regulâ non obstante, ejusmodi resignati decanatus &c. resignationem & liberam etiam collationem in Germania nostra subsistere, cum Flaminio *Lib. 3. de Resignat. q. 6. n. 91.* censet Engel *ad hanc Rubr. n. 37.* eâ per motus ratione; quòd Regulâ isti locus non sit in provinciis, in quibus vigent Concordata; cum in his eæ duntaxat dignitates, beneficia &c. reserventur, quæ comprehenduntur Concordatis: Germaniæ autem Concordatis resignationum &c. colla-

collationum ante Confirmationem factarum ulla mentio non fiat. Rationi huic non modicam vim confert; quòd ex una, *Reg. cit.* ab Innocentio VIII. edita sit post Concordata: hisque & ipsis clausa *Extravag. Ad Regimen cit.* adiciat aliquid novi, atque irritet præviã renuntiatione factas collationes dignitatum & beneficiorum ante promotionem seu electionis confirmationem: quæ irritatio cum *Extravag. cit.* & Concordatis inserta non sit, Germaniam non afficiet; cum in istius Concordatis Papa disertè asserat, eorum observantiam *Deinceps duraturam, nisi in futuro Concilio de ipsius Nationis consensu aliter fuerit ordinatum:* atque etiam promittat, se inferiorum collationes quacunque aliã, ipsis Concordatis non expressã, reservatione non impediturum *§§. De ceteris cit.*

98. Ratione hæc vel non ponderatã, vel nihil moti Branden in *Concord. q. 7. n. 2. & q. 9. n. 4. Cochier ad Reg. cit. n. 24. Nicolarts cit. dub. §. 32. & Wagnereck ad Reg. cit. §. Ad hujus*, ejusmodi collationes hisque prævias renuntiationes viribus destitui contendunt; quòd *Reg. cit.* implicite contineatur in *Concord. & Extravag. cit.* expressè reservantibus beneficia, quæ authoritate Apostolica ad Archi- & Episcopatum Ecclesiarum regimina promoti obtinent tempore ejusmodi promotionum: cui reservationi accedens *Reg. cit.* declarat, collationes ac resignationes ante confirmationem, post electionem tamen, factas irritas pronuntiandò, cum; quòd ad dignitates Pontificales promotio per electionem quodammodo inchoetur: tum verò; quòd ejusmodi resignationibus hæcque secutis collationibus aperte præjudicetur sedi Apostolicæ: cui per Concordata reservatum jus conferendi beneficia promotorum per ipsas ferè ex-

cluderetur; cum in concordia electi, tanquam de sua promotione moraliter certi, ad beneficiorum suorum resignationem ea perentium importunitate perumque inducerentur. Atque hunc de controversia sensum confirmat decisio Rotæ in causa Præposituræ Paderbornensis, ita factam provisionem irritam pronuntiantis; quòd dicta Regula, cum ad excludendas fraudes tendat, favorabilis sit & declarativa *Extravag. Ad Regimen cit. Concordatis*, ut dictum, comprehensæ. Verùm hæc decisio eã potissimum ratione nitetur; quòd Præpositura dignitas post Pontificalem prima in Ecclesiis Cathedralibus, & principalis sit in Collegiatis; ac proinde ipsis Concordatis specialiter reservata.

99. Quare, licet posterioris hujus Opinionis rationi non parùm tribuam, ei tamen prævalere existimo allatam priori, cum; quòd *Reg. cit.* Concordatis hisque clausa *Extravag. cit.* revera aliquid novi superaddat: tum verò; quòd promotio Apostolica post electionem jam perfectam primùm inchoetur: & decanatum, canonicatum &c. ante confirmationem resignans, quòd jure suo utatur, in fraudem alicujus legis aliquid agere non videatur, *arg. l. Nullus §. ff. de R. l. præsertim, cum ea resignatio fieri queat in bonum Ecclesiæ, ut scilicet in concordia electo ad aulam Episcopalem transeunte & administrationem accipiente, juxta c. Nihil 44. v. Ceterum, de Electi. sit, qui in illa decani munere fungatur. Quibus rationibus ducti in priorem sententiam aperte concedunt Laiman in c. Licet cit. n. 9. & cit. Weiff. n. 30.*

100. Non desunt DD. qui, ad Episcopatus promotorum beneficia etiam post electionis Confirmationem in Capituli manus resignari ante Consecrationem & adeptam

deptam Episcopatus pacificam & fructiferam possessionem posse, asserant; quod ante hujusmodi possessionis assecutionem non vacent, per textum *c. Cum in cunctis cit.* cujus §. *Cum verò* ea pro vacantibus habentur, cum promotus confirmationem electionis acceperit, & Ecclesiasticorum honorum administrationem habuerit, aut decursum fuerit tempus, de consecrandis Episcopis à SS. Canonibus definitum; ob cujus administrationis ac possessionis defectum Episcopatus in partibus infidelium obtinentium beneficia per Apostolicam confirmationem non vacant. Sed melius alii, ejusmodi promotorum beneficia post electionis confirmationem in manibus capituli resignata ab isto conferri posse, negant, partim; quod *Extravag. cit. & Concordat. §. Rursus* sedis Apostolicæ provisioni reserventur beneficia, quæ tempore promotionis obtinent & per eam sunt vacatura: qualia procul dubio sunt, quæ habebant tempore confirmationis, quæ ad Episcopatus promoventur: partim verò; quod confirmatorum beneficia vacantia statim declarentur & actu conferantur: etsi ad effectum, ut promotus ea dimittere teneatur, pacifica possessio cum commodo majoris partis fructuum exigatur, Panormit. in §. *Cum verò cit. n. 3. Azor p. 2. Instit. lib. 7. cap. 16. q. 12. Flamin. lib. 3. q. 1. n. 77. Granut. ad Simonettam q. 27. n. 6. & Barbosa alleg. cit. n. 68.*

101. Octavò, quantumvis ad Metropolitanas & Cathedrales Ecclesias, etiam sedi Apostolicæ immediatè non subjectas, & ad monasteria eidem immediatè subjecta prælatos eligendi facultas eorum Capitulis stabilita, ad eaque in tempore celebratarum ac præsentatarum electionum confirmatio à Papa, *Nisi ex rationabili & evidenti causa de Cardina-*

*lium consilio eis de digniori & utiliori persona duxerit providendum*, addicta sit, casu tamen, quò electiones ad eas intra præscriptum tempus, quod regulariter trimestre est, *c. Ne pro defectu 42. de Elect.* non celebrata, vel intra tempus Jure *c. Cupientes 16. eadem Ruric. in 6. præfixum* non præsentata: vel præsentata quidem, sed minus canonice fuerint, Apostolicæ provisioni reservata sunt *Extravag. cit. & Concord. §. Item placet.*

Minus Canonice autem electiones & his subsidiariæ postulationes censentur, quæcunque celebratae sunt contra sanctiones Canonicas, hoc est, vel à personis eligendi non habentibus potestatem, eaque, quam habebant; aut saltem actuali ejus exercitiò privatis: vel de personis Jure inhabilibus sive ineligibilibus & impostulabilibus celebratae: vel demum, in quibus servata non est forma à Concilio Lateranensi, *c. Quia propter 42. de Elect. præscripta, & Lib. 1. Tit. 6. ab art. 10. & n. 161. latè explicata, P. Weiss. in Concord. à n. 10.* Atque hic reservationis casus declaratur proximè sequenti.

102. Nonò enim Apostolicæ provisioni reservatae sunt dignitates, beneficia & officia quæcunque Secularia & Regularia, ad quæ aliqui in concordia vel discordia electi sunt vel postulati: si eorum electio cassata vel postulatio repulsa, aut etiam ab ipsis facta renuntiatio à sede Apostolica fuerit acceptata, *cit. Extravag. & Concord. §. Item placet.* Unde, si alicujus Germaniæ Episcopi resignationem in manibus suis facta Papa acceptet, capitulum sine speciali indulto ad electionem procedere non poterit, sed Episcopatus collatio ad Papam pertinebit.

Neque hoc casu vacantes dignitates Episcopales in Germania nostra reservationibus

tionibus non affici: sed ad eas electionem liberam capitulis competere, ritè inferatur ex eo; quòd Papa §. *Item placet cit.* difertè concedat, ut in Metropolitanis & Cathedralibus Ecclesiis &c. fiant electiones Canonicae, quæ ad dictam Sedem deferantur pro confirmatione, aut postulatione pro admiffione; quia §. istius generalitas per propositum, & antè expressos ac specialiter reservatos casus restringenda & limitanda est, cum; quia explorati Juris est, legem seu dispositionem generalem restringi per anteriorem, *l. Non est novum 26. ff. de LL. præsertim continentem casum specialem, arg. Reg. Generi 34. in 6. Sanchez Lib. 2. de Matrim. disp. 24. n. 6.* tum verò; ne, quò nihil aburdus & à legum conditorum mente magis alienum est, Papa immediatè antè stabilitam dignitatum ac beneficiorum certis casibus ac modis vacantium reservationem eadem Constitutione suâ revocasse, & antè facti pœnitens aut immemor fuisse videatur, Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 360.*

03. Decimò, Papæ reservata est collatio omnium dignitatum, quæ in Ecclesiis Cathedralibus majores sunt post Pontificalem, & dignitatum principalium in Collegiatis, *cit. Extravag. & Concord. §. De ceteris.* Non quidem in qualibet hujusmodi Ecclesia plurium: sed unius duntaxat, ut pluralis locutio in singularem resolvatur; ut Mandosius *in Reg. 3. Cancell. q. 3.* vel, ut Joan. Andr. vult, respiciat solam pluralitatem Ecclesiarum, & sensus sit majorem dignitatem post Pontificalem vel ipsam dignitatem principalem in dictis Ecclesiis reservari.

Quæ autem major dignitas sit, cum Glossa, *Antiqua in Reg. cit.* & aliis laudatus P. Weils *n. 25.* desumendum, ait,

ex cujusvis patriæ Consuetudine: quâ spectatâ in Germaniæ nostræ Ecclesiis Cathedralibus proximæ post Pontificalem, & in Collegiatis, si Præposituram non habeant, principales dignitates fere sunt Decanatus, Nicolarts *in Concord. Tit. & dub. 1. §. 11.*

Exciipiuntur tamen & speciali privilegio Apostolica sedis dispositioni reservatæ non sunt Primò Præpositura Cathedralis Augustana, quæ ejus Ecclesiæ Capitularium electione obtinetur, ex indulto Alexandri VI. apud Branden *in Concord. q. 12. n. 2.* Secundò Præposituræ omnes, sive post Pontificalem major in Cathedrali, & principales dignitates in Collegiatis Ecclesiis civitatis ac diocæsis Leodiensis, quæ electivæ sunt, vigore Concordatorum & indultorum Eugenii IV. & SS. PP. aliorum ab Urbano VIII. confirmatorum *Constitutione*, quæ incipit, *Clerum Leodiensem, editâ Calend. Aprilis 1626.* apud *cit.* Branden *n. 2.* & Nicolarts §. 12. Tertiò Præpositura Elvacensis, ad quam eligendi jus, capitulum Regularè esset competens, Ecclesiâ in secularem mutatâ retentum, & Sede Apostolica indulgente ad hoc usque tempus est conservatum. Quartò Præposituræ seu primæ dignitates Ecclesiarum Baviaræ nostræ extra Civitates Episcopales, quæ vigore juris seu privilegii singularis ad Serenissimum Ducum & Electorum nominationem conferuntur &c.



## ARTICULUS VI.

## De Alternativa inter Sedem Apostolicam &amp; Collatores inferiores.

## SUMMARIUM.

105. Enumerantur menses Apostolici & Ordinariorum.  
 106. Beneficium suò mense vacans Papa confert intra trimestre,  
 107. Computandum à die Vacationis, nota in loco beneficii;  
 108. Ut intra id facta collatio teneat, licet in Germania ignoretur.  
 109. Post trimestre collatio statim competit Ordinario:  
 110. Cum quo Papa in communi sententia concurrat:  
 111. Licet jure Concursus non faciliè utatur.  
 112. Provisio Apostolica publicanda est intra trimestre,  
 113. Quin tamen dilatio inducat beneficii privationem.  
 114. Beneficium in Curia vacantis collationem post mensem Ordinario negantium,  
 115. Et permitentium verior Opinio.  
 116. Eidem ad collationem competunt sex menses:  
 117. Qui eòdem modò, quò in Calendario, sumuntur,  
 118. Et Sede Apostolica vacante,  
 119. A die, Vacationis notitiam proximè sequenti, currunt.  
 120. Finiuntur horà noctis duodecimà:  
 121. Quæ ex primo pulsu horologii,  
 122. Aut aliis signis est desumenda.  
 123. Cum Vacationis dies dubia est, aliqui Apostolicam,

124. Alii Ordinariam Collationem melius preferunt.  
 125. In Februario vacans beneficium Ordinarius in Martio confert,  
 126. Prius factæ nullitate detectâ, nova provisio Papa ante:  
 127. Secundum aliquos etiam post trimestre competit.  
 128. Quod hoc casu alii negant.

**I**N cæterarum dignitatum ac beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcunque provisione summus Pontifex & dioecesium Ordinarii aliive collatores inferiores alternant; ut in Januarij, Martij, Maij, Julij, Septembris, & Novembris Apostolicis mensibus vacantia Papæ dispositioni reserventur: vacantia autem Februario, Aprili, Junio, Augusto, Octobri, & Decembri, qui propterea Ordinarii menses vocantur, ad Ordinarium aliorumve collatorum inferiorum collationem pertineant; ex Concordat. Germaniæ §. De cæteris, ubi tamen additur, *Quoties, 106.* beneficium aliquò in Mense Apostolico vacante, non apparuerit, intra tres menses à die Vacationis nota in loco beneficii, quòd alicui de illo Apostolica auctoritate provisum fuerit, ex tunc & non antea Ordinarius vel alius, ad quem ejus dispositio pertinebit, de illo liberè disponere poterit. Ex quibus verbis

Dubium & non levis momenti controversia nata quondam fuit, an ergo canonicatum vg. Eystadianum, primâ Januarij die vacantem, conferre Episcopus aliùsve collator inferior possit casu, quò eum à Papa collatum intra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficii, sive Eystadii, non innotescit. Id certè verbis illis decepti collatores Ordinarii non rarò fecerunt vigore §. cit. exclusâ provisione Apostolicâ; etiamsi, hanc intra tri-

M

tra tri-

tra trimestre factam, postea constaret. 108. Quod cum in sedis Apostolicæ ab eaque provisorum grave præjudicium cedere animadverteret Gregorius XIII. *Constitutione*, quæ incipit *Quæ in Ecclesiarum Calend. Novemb. 1576. editâ* declaravit, verba illa *In loco beneficii* non ad verba *Non apparuerit* referenda: sed conjungenda immediatè antecedentibus *Notæ vacationis*; ut gratiam sive provisionem Apostolicam de beneficio alicui intra trimestre factam non necessariò in loco ipsius beneficii, sed alicubi, Romæ saltem, apparere sufficiat: & à sede Apostolica intra tres menses provisos excludi etiam post eorum lapsum nequeat, si gratiam seu canonicatus collationem, ipsi intra trimestre factam, post istius lapsum in loco beneficii, ob locorum distantiam, itinerum difficultatem, aliæ legitima impedimenta quandoque intercedentia, innotescere non possit. Quomodo enim id fieri queat, si prima Januarii die Eystadii vacans canonicatus à Papa mensis Martij die ultimò conferatur? Unde

109. Dubium aliud oritur, an ergo canonicatus, Eystadii primò Januarij die vacans, ab Episcopo vel alio, ad quem pertinet, primò post lapsum trimestre die nequeat conferri. Posse conferri perspicuum est ex Concordatorum verbis, *Ex tunc & non antea Ordinarius vel alius, ad quem ejus dispositio pertinebit, de illo liberè disponere poterit*; quia dictio *Ex tunc* idem denotat, quod statim à lapsu temporis præscripti, ut cum Martha. *de Clausulis p. 3. clausula 88.* notat Zypæus *ad hanc Rubric. Consult. 5. n. 10.* Quin ita providè Ordinarius aliüsve collator aget; cum enim in communi sententia post trimestre jam lapsum Papæ manus ligatæ non sint, sed cum Ordinario aliòve collatore inferiori concurret, ut inter eos locus sit præ-

ventioni, Ordinarii collatio facilis effectum consequetur, si trimestri lapsò statim procedat ad canonicatus collationem; ita enim post exactum trimestre facta provisio Apostolica, tanquam posterior, ipsius collationi non facile præferetur, *arg. c. Si à Sede 31. in 6.*

Quod autem Papa quoad beneficii, 110. suo mense vacantis, collationem, post trimestre à vacationis notæ die elapsum, cum Ordinariis etiam post Concordata inita concurret, communis, ut dixi, DD. sententia est, & desumitur ex eo; quòd ista gratias solum Præventivas & Expectativas quoad beneficia vacatura: non etiam Concursum seu præventionem quoad vacantia tollant & excludant, ut *arg. c. Dudum 14. §. Nos igitur in 6.* docent Branden *in Concordata q. 6. n. 18.* Cochier *in Reg. Cancell. 8. gloss. 11. n. 5.* Zypæus *cit. Consult. 5. n. 10. V. Verè igitur & Nicolarts in Concordat. Tit. 1. dub. 11. §. 3.* qui tamen, allegatis aliis 111. DD. fatetur, Papam eò Concursum jure, Ordinarios collatores in beneficiorum vacantium provisione præveniendò, vix unquam, & non nisi ex gravissima causa usurum; ut evitentur incommoda, quæ ejus usus asserre potest. Quin, sicut Concordatis derogari, sic eò Concursum jure uti Papam hodie non, nisi de Plenitudine potestatis Apostolica, posse, satis probabile est, postquam is Concordat. §. *De ceteris disertè* promissit, se collationes Ordinariis permittas ullâ dispositione contrariâ non impediturum, ut probè advertit P. Weils *in Concordat. n. 18.*

Neque propositæ dubitationis resolutioni contraria est Constitutio Gregoriana, festinatas Ordinarium collationes apertè improbens; quia istâ non tam collationes illæ, quàm à Sede Apostolica intra trimestre quidem provisorum, sed

rum, sed gratiam sibi factam non publicantium exclusiones, tanquam provisus à publicatione intra trimestre faciendâ legitimè impeditis, & ipsi etiam sedi Apostolicæ præjudiciose, reprobari videntur; cum enim Ordinarius collator *Ex tunc*, sive post lapsum trimestre statim de beneficiis in mense Apostolico vacantibus liberè disponere in terminis permittatur, eas *Ex tunc*, sive statim faciendò jure suo utetur, quò citra cujusquam injuriam uti potest: dummodo eos, quos intra trimestre à Sede Apostolica provisus postea apparet, gratiâ Apostolica frui permittat: quod sine incommodo fieret, si post trimestre exactum ab inferioribus collatoribus statim provisorum in possessionem missio differretur per tempus, intra quod etiam ultimâ trimestris die vel hebdomadâ Romæ provisus gratiam Apostolicam publicare commodè valeant.

112. Dubium tertio est, intra quod tempus de beneficio, in mense Apostolico vacante, Romæ provisus gratiam sibi factam publicare seu intimare teneatur. Qua de re clara Gregorianæ Constitutionis dispositio & tenor est, *Ne cuique licitum sit factam à Sede Apostolica hujusmodi intra trimestre dispositionem in longum obregere, illi, quibus deinceps gratiâ hujusmodi concedentur, earum concessionum fidem & testimonium intra tres menses à die nota vacationis in loco beneficii vel dictis collatoribus significare, vel in ipso beneficii loco publicare quoquò modo teneantur.* Circa quem tenorem duo notanda sunt.

Primum est, ad gratiam ita maturè intimandam seu publicandam non adstringi eos, quibus gratia ita maturè facta non est, ut intra trimestre impetrans ipse vel Apostolicæ literæ in Germaniam venire possint; cum, si gratia illa Ro-

mæ tertii mensis die aut etiam hebdomadâ ultima fiat, impossibile sit, ut tam Serò provisus gratiam ante ejus mensis lapsum in Germaniam perferat, aut per literas insinuet. Unde ei, gratiam post trimestre jam lapsum publicanti, Papæ in providendo mora obesse non potest; cum *Mora cuilibet sua non aliena sit noxia*, Reg. 25. in 6. Wagnereck ad hanc Rubric. in Concord. §. 3. & Engel ad Rubric. de Rescriptis n. 23. ad 3.

Alterum est, quòd, si ultra tres illos menses gratiâ sibi factæ publicationem à Sede Apostolica provisus culpabiliter differat, eum jure suo cadere, Gregorianâ aliâve Constitutione non sit expressum: & propterea id negetur à citr. Branden Norab. 2. n. 5. & Cochier Gloss. 11. n. 5. quorum hac de re sensum non obscure nec malè approbat Engel cit. n. 23. Ratio est; quia privatio beneficii ipsò jure non contrahitur, præterquam in casibus jure expressis, Felinus in c. Ex parte 2. de Rescript. n. 3. Selva de Benefic. p. 3. q. 2. n. 7. Garcias p. 11. de Benefic. cap. 10. n. 5. & Farinac. Prax. Criminal. q. 19. n. 46. Quare, cum publicatio ita omittitur, pœnæ arbitrarie culpæ modo proportionata: & si culpa valde gravis, eaque publicatio, cessante justò impedimentò, ultra novem, menses dilata esset, privationi beneficii per sententiam infligendæ locus fore videtur; quòd hæc pœna jure lata sit in eos, qui intra novem menses non publicant beneficiorum resignationes & resignatorum collationes Apostolicas, Constituitur. Gregorii XIII. quæ incipit *Humano, Non. Junij 1583. editâ.*

Dubium quartò est, an Concor- datis derogatum sit c. Statutum 3. in 6. ut Germaniæ Ordinarii ante trimestre lapsum conferre etiam nequeant beneficia in Curia vacantia, quantumvis de iis in-

M 2 tra men-

115.

tra mensem à Sede Apostolica nemini sit provifum. Ratio dubitandi est; quòd Concordatis trium mensium tempus indistinctè statuatur, §. *De ceteris cit.* Verùm, quia trimestre hoc solum spectat beneficia obnoxia Alternativæ, & in mense Apostolico vacantia in Germania, à Curia valde remota; ut eorum vacationis notitia ad Papam ita citò nequeat pervenire: non etiam vacantia in ipsa Curia, ut eorum notitia ad Papam pervenire facile statim possit, dispositioni *c. Statutum cit.* derogatum non est §. *cit.* Neque etiam §. *Ad Regimen*; quia cum in Curia vacantium provifioni tempus non determinetur, hoc sub antiqui Juris dispositione relictum censetur *arg. c. Cum expediat 29. de Elect. in 6.*

Neque, ut *Garcias p. 5. de Benef. cap. 1. n. 100.* vult *c. cit.* dispositioni derogatum est *Extravag. Pia 1. & Extravag. Ad Regimen 13. inter Communes*: quibus non solum beneficia in Curia vacantia reservantur, sine ulla temporum determinatione; sed insuper abrogantur omnes Constitutiones, quatenus ipsis obfistere possunt; quia, cum *cit. Constitutiones Extravagantes* expressè non derogent *c. Statutum cit.* hujus dispositionem, quoad solum mensem dispositioni Apostolica reservatum, integram relinquent; cum Concilii generalis dispositioni sine speciali mentione non derogari, Juris sit explorati.

Hanc textuum conciliationem, ut à multis recepta sit, non admittunt, quæ de Conciliarium decretorum derogatione, si Constitutione Apostolica generali fiat, expressam mentionem non exigente; tradita sunt *Lib. 1. Tit. 2. n. 132.* Quibus etiam suppositis *c. Statutum cit.* relata Concilii Lugdunensis Constitutioni *Extravag. cit.* non derogatur; quia imprimis his proposita bene-

ficiozum in Curia vacantium reservatio generalis sine offensione fiat cum speciali ejus restrictione ad mensem, expressa *c. Statutum cit. arg. Reg. Generi 34. junctâ Glosâ V. Eòdem in 6.* Dein; quia *Extravag. Ad Regimen cit.* Benedictus XII. Prædecessorum suorum Constitutionibus derogat, quatenus beneficiorum in Curia vacantium reservationem tollunt: non quatenus hanc mensurò spatio concludunt; cum ejus ad hoc tempus, Ecclesiarum & animarum favore, factam reductionem ne verbò quidem excludant. Demum; quia *Extravag. Pia cit.* Constitutio est Bonifacii VIII. edita tertio annò ante publicatum ab ipso Librum VI. Decretalium: cui *c. Statutum cit.* relatum Constitutionem Conciliarem non inferetur, sed ei omiffa *Extravag. Pia cit.* suffecturus fuisset, si illam jam ante editam *Extravag. cit.* revocare intendisset; cum Constitutiones revocate Juris corpori non inferantur: & à se non insertas Bonifacius ipse Libro VI. *Proemij V. Nos ad apicem*, fateatur. Neque refert; quòd *Extravag. cit.* Juris Corpori inserta fuerit postea; cum enim Extravagantes communes ullius Papæ autoritate compilatæ non fuerint, ad auctores suos & id, quò data sunt, tempus reducuntur, per tradita *Differat. Proem. n. 103.*

Quare *c. Statutum cit.* Conciliari decreto hodie quoque locum esse, & Ordinariis beneficia in Curia vacantia post mensem à die vacationis computandum conferre volentibus manus, sicut Concordatis, sic etiam *Extravag. cit.* non ligatas meritò sustinent *Laiman in c. Statutum cit. n. 5. Gonzalez in Reg. §. Cancell. proem. §. 5. n. 159.* ubi Concordata à *c. cit.* originem trahere, ait, *Barbosa cit. alleg. 57. n. 24. §. De his, Wagnereck in c. cit. §. Demum, Pirthing ad hanc*

ad hanc Rubr. n. 332. & cæteris accuratius Engel ad hanc Rubric. n. 52.

116. Dubium quintò est de tempore, ad conferenda beneficia in suo mense vacantia Ordinariis & collatoribus inferioribus aliis competente. Quod generatim semestri, ab ipsis notæ vacationis die computandum, esse cum Lessio *Lib. 2. de J. & J. cap. 34. n. 46.* & aliis docent *cir. Garcias p. 10. cap. 2. & 3. utrobique n. 1.* & Franc. Leo p. 2. *Theauri Fori Eccles. cap. 3. n. 30.* quòd, cum eorum collationi certum tempus præscriptum non sit Concordatis, standum sit dispositione Juris communis, liberæ beneficiorum collationi semestri præfigentis, c. *Nulla 2. c. Quia diversitatem 5. de Concess. præb. c. Licet 3. & Clement. Unic. de Suppl. neglig.*

117. Dubium sextò est de mensium Apostolicorum & Ordinariorum acceptione. Cui ansam præbent variæ mensis computationes, à Menochio *de Arbitr. casu 50. à n. 2.* relata. De quibus quidquid sit, in proposita mensium & provisionum alternatione menses eò, quò in Calendario describuntur ac distinguuntur, modò accipiendos, communis DD. sensus est apud *cir. Gonzalez gloss. 11. n. 7.* ut cuius tot tribuantur dies, quot ei in Calendario & communi usu adscribuntur; ac proinde beneficium, cujus vacatio in ejus siti loco Apostolici mensis die 31. Januarii innouit, post 30. Aprilis exactum desinat esse reservatum, & primo Maji die ab Ordinario jam valeat conferri: & contra beneficium, cujus vacatio in ejus siti loco nota fuit 30. Septembris, reservatum adhuc sit, & ab Ordinario conferri nequeat die 31. Decembris; quia sicut 30. Aprilis priori, sic posteriori casu 31. Decembris ultimus est dies trimestris, prout menses in Calendario describuntur & communi usu accipiuntur, Glossa

*in c. Quam sit 6. V. Menses de Elect. in 6. Zabarella in Clement. 1. §. Secus hic n. 2. & Gonzalez n. 7. cir.*

An beneficii, cujus vacatio in ejus siti loco 29. Septembris innouit, die 30. Decembris reservatum adhuc sit, vel istius mensis 29. die esse desinat, quæstio à DD. quod sciam, intacta, veròque similius est, 30. die ab Ordinario factam collationem provisioni Apostolicæ, eòdem sed feriis factæ, præferendam; quòd, die 29. trimestre Apostolicum jam expirarit: & 30. atque 31. Decembris dies quasi pro una reputentur fere, sicut annò bissextili dies 24. & 25. Februarii, *l. Denique 3. §. 3. ff. de Minoribus & l. Quæsit 14. in fine ff. de V. S.*

Dubium est septimò, an sedis Apostolicæ provisioni reservatum trimestre currat, sede illà vacante. Sicut plenà, sic & vacante sede id inchoari, currere ac finiri, docet magister usus: quò & ratione etiam spectatà casu, quò beneficiò aliquò in mense Apostolico vacante apparet, intra trimestre, à die vacationis in loco beneficii notæ computandum, à sede Apostolica de illo alicui non provisum, de eo liberè disponere Ordinarius collator valet: etiamsi, cum beneficii vacationem indutam in ejus siti loco innouit, vel postea intra trimestre, Sedem illam vacare contigerit. Ratio est, quia Concordata de beneficio dispositionem, saltem post dictum trimestre, Ordinariis collatoribus simpliciter, & sine ulla plenæ aut vacantis Apostolicæ sedis mentione, aut istius exceptione permittunt; ut locus sit *arg. Summe l. De pretio 8. ff. de Publ. in rem act. & can. Consultuisti 2. q. 5.* & licet Concordata sint perpetua, Papà tamen mortuò beneficia in mense Apostolico vacantia, saltem post dictum trimestre, inferiorum liberæ collationi obnoxia sunt: sicut ei post mensem, à vacatione inducta

M 3

lapsum

lapsum, subiecta sunt beneficia vacantia in curia, c. *Statutum* 3. cit. à quo Germania Concordata Originem ducunt, teste Gonzalez cit. n. 159. ejusque instar Apostolica Sede vacante, non expirant, per tradita supra n. 65.

119. Dubium octavo est, an sedi Apostolicæ competens trimestre ipsò die, quò vacationem beneficii in mense Apostolico inductam innotescit, vel hujusmodi notitiam proximè sequenti inchoetur. Verisimilius est, id sequenti primùm die inchoari. Ratio est; quia §. *De cæteris cit.* trium mensium terminus Apostolicæ sedi assignatur *A die nota vacationis in loco beneficii*: Regulariter autem terminus temporis in tempore, sive, ut alii loquuntur, dies termini in termino temporis non computatur, quando illum in hoc non computari interest ejus, cui terminus est assignatus, l. *Eum qui 41. pr. V. Plane, ff. de V. O.* præsertim, si terminus præfixus sit per præpositionem *A*, quæ naturâ suâ separat & terminum *A* quo excludit, Glossa in c. *Statutum cit. V. Numerandum, not. 3.* Rebuffus in *Reg. de Infirmis, gloss. 10. n. 9.* Cochier ad *Reg. eandem n. 39.* & Pirrhing ad *hanc Rubric. n. 328. in fine* Si quis, hac ratione non obstante, trimestre ab ipsa vacationis in beneficii loco notæ die, vel potius hora computaret, non multum adveseretur.

120. Dubium nonò est, quâ horâ vel punctò diei terminetur mensis Apostolicus & Ordinarii mensis inchoetur, aut vicissim terminetur iste & ille inchoetur. Ratio dubitandi desumitur ex *Constitutione Eugenii IV. in favorem Leodienisum edita 1441.* Concordatorum vim obtinente, & teste cit. Nicolarts *Tit. 1. dub. 12. §. 1.* decernente, menses tam Ordinarii quam Apostolicos inchoari ab ortu solis. Unde non omnes totius anni menses eòdem punctò temporis, nec eadem etiam, sed

pro varietate ortus solaris aliis aliisque horis inchoari & terminari videntur.

Verùm *cit. Constitutione* ortus solis non accipitur pro puncto temporis, quò sol emergit supra horizontem: sed pro eo, quò nobis incipit appropinquare, ut rectè advertit cit. Nicolarts §. 1. Unde menses, vg. Apostolici, cum ultimæ mensis diei hora noctis duodecima, istiusque minuto ultimo finiuntur, secundum c. *Consultuit 24. de Offic. deleg. ibi, More Romano dies à medietate noctis desinat, & l. More 8. ff. de Feriis: & mensis Ordinarii jam inchoabitur, cum hora illa incipit audiri; quia, cum primus horæ pulsus auditur, hora jam est exacta, ad quod indicandum editur sonus, Gonzalez ad *Reg. 8. gloss. 11. à n. 9.* Garcias p. 5. de *Benefic. cap. 1. §. 11. n. 524.* Zypæus cit. *Consult. 5. n. 6.* Nicolarts in *Concord. Tit. 1. dub. 12. §. 3.* & Barbosa de *Offic. Episc. alleg. 57. n. 184.* Ubi autem horologia 122. plura sunt, noctis medium desumendum est ex horologio parochiæ seu viciniae illius, in qua obitus accidit, sive ex eo, quò tanquam ordinatione incolæ regi & uti solent, cit. Garcias n. 525. vel ex eo, quod magis propitium ac favorabile est, secundum doctrinam Bobadillæ *Politica sua Lib. 5. cap. 2. n. 25. cit.* Barbosa n. 185. & Nicolarts §. 4. In locis verbò, in quibus nullum horologium est, arbitriò prudentum, ex cursu siderum, galli cantu & iis, quæ communiùs contingunt, pronuntiantium de noctis medietate, Gonzalez *gloss. cit. n. 16.* id à Rota decisum asserens, cit. Barbosa n. 187. & Nicolarts §. 5.*

Dubium decimò est, ad quem spectet, vel à quo, à Papa vel Ordinario, facta collatio præferenda sit casu, quò an beneficium ante vel post mediam noctem exactam ultimæ diei mensis vacarit, dubium est, vg. cum beneficiatus domi in lecto,

lecto, in p̄teo &c. aut foris in agro, sylva, flumine est repertus; ut de hora vel etiam die obitus non constet. Illā ad Papam spectare, desumi videtur ex *c. Si à sede 31. in 6.* ubi in dubio, an Ordinarii vel Apostolica provisiō anterior sit, propter auctoritatis prerogativam Apostolicæ defertur, eaque provivus præfertur.

124. Nihilominus DD. passim stant pro Ordinario, non solum casu, quò ipse solus contulit, sed etiam, quò ab utroque collatio est facta, saltem quando sibi collati beneficii nemo apprehendit possessionem; eò enim casu collationem ab Ordinario factam Apostolicæ præferendam, evincitur ea ratione; quòd communi Jure spectatò Episcopo competat libera collatio omnium beneficiorum suæ diocesis, *can. Regenda, 10. q. 1. can. Nullus omnino, 16. q. 7. c. Conquerente 16. de Offic. Ordin. c. Ex frequentibus 3. de Institut. & c. Cum ex injuncto 12. in fine, de Hæreticis*, de quorum reservatione à Papa facta non constat. Cùm ergo de talis beneficii reservatione non constet, ejus collatio ad Ordinarium pertinebit, ab eoque facta collatio provivus Apostolicæ præferetur, ut multis DD. allegatis sustinentur. *Gonzalez gloss. 11. n. 37. Zypæus n. 5. Garcias cap. 1. n. 528. Barbosa n. 188. & Nicolartus §. 7.* qui in dubio de reservatione, Apostolicæ Ordinariam collationem præferendam, etiam censent, quando à Papa provivus prius assecutus est beneficii possessionem, donec ab isto reservatio probetur; quòd Ordinarius ab eoque provivus pro se habeat assistentiam & præsumptionem Juris, in quo fundatā intentionem habens probandi onere relevatur, & hoc in adversarium etiam possessorem transfert, *Pacianus Lib. 1. de Probat. cap. 12. n. 1. & Mascardus de Probat. Proæm. q. 17. d. n. 6. Gonzalez tamen gloss. cit. n. 31. cum Flaminio Lib. 10. de Resignat. q. 1. n. 24.*

& aliis tali casu præferendum, aut possessorem, sive à Papa sive ab Ordinario sit provivus: & propterea possessorem monet; ne se facile constituat actorem: aut, si non possidentem ipse conveniat, Petitorium intenet propter quasi dominii seu proprietatis probandā difficultatem, *c. Sape 18. de Restit. spoliat.*

Neque contrarium persuadet *c. Si à sede cit.* decisio: quia solum procedit in provivione Apostolica, facta jure Præventionis, Papæ tanquam Ordinario Ordinariorum competente: non de ea, quæ facta est jure Reservationis, Ordinarii collationem impediens; quia Papa quoad Præventionem intentionem suam in Jure fundatam habet, sicut Episcopus: non item, quoad Reservationem; cùm, quamdiu de ista non constat, Jus Ordinario assistat, *Palao Tratt. 13. disp. 2. p. 22. §. 2. n. 3.*

Non magis, quàm *c. Si à sede cit.* in proposito nobis casu pro Apostolica contra Ordinarii collationem faciunt *Clem. 1. Ut lite pendente* verba, *Neutro autem ipsorum beneficium possidente erit Romanus Pontifex propter auctoritatis prerogativam in collatione hujusmodi præferendus*, cùm; quia in istius constitutionis casu constabat de lite super beneficio inter duos pendente, & impediente, quò minus Episcopus alicui de illo posset providere, *c. 1. & fm. Ut lite pend. in 6.* tunc verò; quia cùm *Clementina cit.* casu colligantium uterque, & alter in Curia decesserit; hòc ipso; quòd quoad hunc Apostolicæ provivioni apertè assistat Jus, *c. Licet 2. in 6.* in dubio, utrius obitus prius acciderit, & in pari causa potior & præferenda Apostolica est, propter prerogativam auctoritatis, *arg. c. Si à sede cit. Gonzalez cit. gloss. 11. n. 44. & Palao n. 3. cit.*

Dubium est undecimò, an benefici-  
um, quod 125.

um, quod vacare capit mense Ordinarii, vg. Februario, si ejus collatio differatur in Martium, incipiat esse reservatum sedis Apostolicæ provisioni. Dubitandi ratio est, quod tale beneficium vacet mense Apostolico, scilicet Martio, in quem, Ordinatio collationem differente, intrat. Sed ratio hæc levis est momenti; quod tam per *Cancell. Reg. 8.* quam per Concordata §. *De ceteris cit.* solummodo reserventur beneficia in Januarii, Martii & mensibus vacatura, hoc est, quæ istorum mensium aliquod incipiunt vacare: quale cum non sit, cujus collatio à Februario in Martium differatur, hoc Papæ non erit reservatum, *citr. Gonzalez n. 53. Barbosa n. 189. & Nicolarts §. 8.* Ratio est; quia beneficium, quod vacare incipit in mense Apostolico, reservatum manet, quantumvis provisio differatur, & vacatio usque in mensem Ordinarii duret; cum beneficium semel reservatum tale maneat, licet reservationis causa cesset, *Gomez ad Reg. de Infirmis q. 32.* Ergo pari modo, quod vacare incipit in mense Ordinarii, ad istius collationem pertinebit, quantumvis ista in mensem Apostolicum differatur; quia correlativorum eadem est ratio, *arg. l. fin. C. de Indicta viduit. toll.*

126. Dubium duodecimò est de casu, quò beneficii in mense Apostolico vacantis à Papa intra trimestre facta collatio ob impedimentum occultum, vg. personæ inhabilitatem, ob-vel subreptionis vitium, est nulla. Quò casu, saltem ante trimestris lapsum, alteri & soli provisioni Apostolicæ locum esse, nemo facillè inficiatur.

127. Trimestri etiam lapsò, & intra alterum trimestre, à nullitatis notitia computandum, Ordinariam collationem excludi, geminà ratione suadet. Una est; quòd talè beneficium per appositionem manus Papæ ad effectum collationis sit

affectedum; ac proinde, donec provisio Apostolica effectum consequatur, Ordinarii & inferioris cujuscunque collatio excludatur, *arg. c. Ut nostrum 56. de Appellat. & Extravag. Ne Romani 14. hic inter communes, Mandosius ad Reg. Cancell. Proem. q. 5. à n. 1. Simonetta de Reservat. q. 64. n. 8. cit. Gonzalez gloss. 52. n. 4. Garcias cap. 1. cit. n. 138. & alii ab his relati.* Altera; quòd, cum ab Ordinario aliòve inferiore factæ collationis, præsentationis, electionis, ex personæ inhabilitate aliòve impedimento occulto proveniens nullitas detegitur, eis ad provisionem à Jure indultum tempus integrum denuo concedatur, per *text. aut arg. c. Si electio 26. de Elect. in 6. eiusque legitime impeditis tempus non curra, c. Quia diversitatem 5. de Concess. Præb. per tradita lib. 1. tit. 10. n. 33.* novum trimestre tali casu etiam competat Papæ; cum non appareat ulla ratio, cur id huic denegetur; quia ejus provisiones magis, quam inferiorum, subjectæ periculis nullitatis, & non minus quam inferiorum collatorum favorabiles sunt, propter sedis Apostolicæ singularem in iis prærogativam, *c. Licet 2. hic in 6. & Clement. 1. Ut lite pendente.*

Pro praxi tamen, si quæ tali casu 128. beneficii in mense Apostolico vacantis provisionem Ordinarii collatoribus adstruit, stare videntur Caputaqueni, *Decis. 33. Tholosan. de Benefic. cap. 24. n. 18. Auferius ad Capell. Tholos. decis. 437. n. 6. Falcon. de Reservat. præjud. 3. & q. 4. effectu 16. in fine casu, quò provisio Apostolica invalida est, Extravag. Ne Romani cit.* non exemplificari, asserens, *Selva de Benefic. p. 3. q. 33. n. 1. & Rebuffus in Praxi de Reservat. n. 35.* quorum doctrinæ favet Rotæ *Decisio 512. n. 5. & praxin Germaniæ nostræ etiam cohonestat ratio gemina. Prior est; quòd Ordina-*

Ordinariorum & aliorum, ad quos pertinet, collationi locus sit, quoties aliquod vacante beneficiò non apparet, intra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficii de illo alicui auctoritate Apostolicâ provifum: alicui autem intra tres menses provifum non appareat, quando provifionem, quæ à Papa facta est, apparet esse nullam; quia actum non esse gestum, & esse gestum nulliter paria sunt, *l. Si se non obrulit 4. §. 6. ff. de Rejudic.* Et quod nullum est, Juris effectum non fortitur, *l. Nuda 55. ff. de Contrah. empr.* ut locus sit arg. Regula, *Non præstat impedimentum, quod de jure non fortitur effectum*, quæ est *§. 2. in 6.* Posterior; quod appositione manûs Papæ, quando ex ea Concordatorum præjudicium resultat, Ordinariorum collationes non impediuntur, talique casu ulla affectio non inducatur, ut ex Puteo *Lib. 3. decis. 226. in una Germana à n. 14.* Roman. *Consil. 312. à n. 5.* & Rebuffo in *Concordat. Tit. de Mandat. Apostol. §. Declarantes*, dictam manûs appositionem, quando Concordatis præjudicium generat, non attendi asserente, observat Gonzalez *cit. gloss. §. 2. n. 15.* Ex ea autem Concordatorum Germaniæ præjudicium resultare, planum sit; cum, si ea Ordinariorum collationi obfisteret, trimestri à die vacationis in loco beneficii notæ lapsò, beneficia in mense Apostolico vacantia liberè conferendi Concordatis stabilita facultas sæpe excluderetur, vel retardaretur. Quâ ratione videtur convelli ex in contrarium deductis prior.

Majorem etiam speciem præsefert, quàm vi polleat, posterior, partim; quia Papa Ordinariis collatoribus, sicut amplius tempus, scilicet semestri à die vacationis ipsis notæ, quod ante compete-  
bat, non constrinxit, sed omnino reliquit intactum: quantumvis suæ provi-

sioni trimestre duntaxat, idque à die vacationis, non sibi Romæ, sed in loco beneficii notæ reservârit: sic etiam beneficia manûs suæ appositione non affici, sed eorum collationem liberam lapsò trimestri illis indiscriminatim permittere voluisse, inde præsumitur; quòd affectio-  
nis mentionem ne verbo quidem fecerit in Concordatis: partim verò; quia, hoc non obstante, Papæ prærogativa etiam in collatione beneficiorum potior est, non solum ob Apostolicæ potestatis Plenitudinem, eâ permissione nihil diminutam: sed etiam propter innumera beneficia & majores dignitates pene omnes Apostolica provifioni liberæ, aut saltem confirmati-  
oni vel admissi-  
oni reservatas.

## ARTICULUS VII.

## De Beneficiis Alternativæ subjectis, ab eâve exemptis.

## SUMMARIUM.

129. *Ei non subjiciuntur beneficia ad nura Revocabilia,*  
130. *Non numerata, si ea suppleri non sit necesse:*  
131. *Pensiones & beneficia Unita:*  
132. *Coadjutoria, etiam cum futura successione:*  
133. *Beneficia Patronata ex fundatione dotatione, constructione:*  
134. *Et fere, que sunt Patronatus Mixti.*  
135. *Ei ramen obnoxia sunt beneficia Patrimonialia,*  
136. *Monoculavia,*  
137. *Parochialia,*  
138. *Dignitates inferiores & Officia,*  
139. *Que in Titulum conferuntur:*

N

140. Benz-

140. Beneficia erecta post Concordata,  
 141. Et vacantia per resignationem tacitam.  
 142. Non in favorem, aut ex causa permutationis:  
 143. Et verisimiliter etiam simpliciter resignata:  
 144. Secluso tamen Jure speciali.

129. **C**oncordatis in Germania constituta mensium hisque annexarum provisionum Apostolicarum & Ordinariorum alternationi subjunctæ generaliter sunt dignitates & beneficia quæcunque, aliunde sedi Apostolicæ non reservata. Ea tamen generalitas restringenda, seu potius declaranda est; cum alternationi illi locus non sit

Primò, in Regularibus aliisque manualibus beneficiis & vicariis ad nutum revocabilibus; cum enim manualia beneficiorum nomine non veniant in odiosis; & ejusmodi vicariæ beneficia non sint, neque reservationibus, neque alternativæ subjiciuntur; ut, quandocunque etiam in Curia vacant, pertineant ad Ordinarii, aut alterius inferioris collationem, Gonzalez in Reg. 8. gloss. 8. n. 11. Garcias p. 5. de Benef. cap. 1. n. 510. Cochier ad Reg. cit. gloss. 8. à n. 7. & Barbosa de Offic. Episc. alleg. 57. n. 29.

130. **S**ecundò, in beneficiis Ecclesiæ non numeratæ, sive certum canonicorum numerum non habentis: non tamen in omnibus, sed iis duntaxat, quæ non necessario suppleantur; quia reservationi & alternativæ obnoxia tantum sunt beneficia vacatura aut vacantia: talia autem illa beneficia propriè non sunt; cum beneficiatò mortuò, hoc ipso; quòd non necessario suppleantur, expirent potius, quam vacent, Garcias cit. n. 510

131. **T**ertio, in pensionibus ex alieni be-

neficii fructibus alicui assignatis; cum sint quid temporale & à beneficio separatum, Gigas de Pensionibus q. 28. & Cochier l. cit. à n. 10. excipiens pensionem, seu jus percipiendi portionem reddituù, alicui Ecclesiæ vel beneficio detractorum, perpetuum; ut beneficii habeat rationem.

Quartò, in beneficiis mensæ Episcopali, Capitulari, Abbatiali incorporatis, & aliis alteri cuiquam dignitati vel beneficio accessorie unitis; cum enim hujusmodi beneficia propriè non vacent, sub reservationem & alternativam non cadunt: nisi unita sint dignitati aut beneficio per se reservato aut obnoxio alternativæ, cit. Gonzalez gloss. 5. §. 7. n. 39. & Cochier à n. 16.

132. **Q**uintò, in Coadjutoriis, etiam cum futura successione, propter infirmitatem corporis vel animi coadjuto datis; quòd, cum talis coadjutoria beneficium, eamque obtinens beneficiatus non sit, propriè non vacet, sed cesset, Tholosanus de Benef. cap. 11. n. 12. & cit. Cochier num. 12.

133. **S**extò, in beneficiis juris patronatus laicorum ex fundatione, dotatione, constructione; quia neque Concordata aut Reg. cit. neque alia Jura, beneficia quæcunque, aut alternis mensibus vacatura, reservantia, ejusmodi laicorum patronatus faciunt mentionem: ei autem sine expressa mentione derogare non censetur; propter specialem favorem, ad piarum fundationum studium excitandum, laicis indultum, Glossa in e. Cum dilectus 28. V. Presentare de Jure patronat. Covarruvias Practic. cap. 38. n. 2. & Garcias cit. cap. 1. n. 571. **Q**uin, etiam si ad laicorum presentationem pertinentibus sive juris patronatus laicis beneficiis expressè derogetur, ex privilegio duntaxat vel prescriptione: non etiam ex fundatione, dotatione, constructione orto,

Orto, vel Regibus Principibus aut Marchionibus competenti patronatûs juri derogatum censetur, nisi illius specialis mentio fiat, *citt.* Covarr. *n. 6.* Garcias *n. 575.* & Barbosa *alleg. 57. n. 28.*

134. Præter hæc variæ dignitates ac beneficia sunt, quæ utrum alternis mensibus ad summi Pontificis vel Ordinariorum dioecesanorum aliorumve inferiorum collationem pertineant, anceps est: &

Primo quidem de beneficiis juris patronatûs Mixti sive ejus, quod uni, vel etiam pluribus, ratione proprii patrimonii: alii autem ratione Ecclesiæ, dignitatis, beneficii vel officii Ecclesiastici competit; hæc enim alternativæ subjacere, affirmant graves DD. eâ ducti ratione; quod jus patronatus Ecclesiasticum, tanquam magis dignum, laicale tanquam minus dignum ad se trahat, *arg. c. Quod in dubiis 3. de Consecrat. Eccles.* Rectius tamen negant *citt.* Covarruv. *n. 5.* Gonzalez *gloss. 18. n. 12.* Cochier *gloss. 1. n. 3.* & Wamensis *Tom. 1. Consil. 255. n. 15.* & Nicolarts *in Concord. Tit. 1. dub. 5. §. 14.* Ratio est; quia æquum non est, ut laicus privilegium suum perdat propter societatem clericis; cum in re individua quis præjudicium pati & privilegium suum amittere non debeat propter societatem alterius, non privilegiati. Excipitur tamen jus patronatûs Mixtum, laico competens non ex fundatione, dotatione, vel constructione: sed ex solo privilegio vel præscriptione: uti etiam, in quo patroni laici minorem votorum numerum habent, quam Ecclesiastici; tali enim casu major pars prædominans esset attendenda, Nicolarts *cit. dub. 5. §. 15. & 16.* cum aliis DD. *citt.*

135. Secundò, de beneficiis Patrimonialibus, quæ alternæ collationi esse obnoxia, aliqui negant; quod sub reservationem non cadant, sine specifica men-

tionem. Sed, licet hoc ita sit, quando prævia patroni laici præsentatione obtinetur, casu tamen, quò juris patronatûs Ecclesiastici aut collativa sunt, ea reservationi & alternativæ subjici, *citt.* Gonzalez *gloss. 9. §. 1. n. 59.* Garcias *n. 562.* & Palao *Tract. 13. disp. 2. p. 22. §. 1. n. 3.* desumunt ex generalitate §. *Deceteris & Reg. 8. citt.* quorum illò beneficia quæcunque, de quibus jure ordinario per inferiores providetur: istâ qualitercunque qualificata alternativæ subjiciuntur. Unde non apparet, quomodo ei Patrimonialia subtrahantur.

Tertiò, de Monocularibus. Vo. 136.

catur autem Monoculare seu Monoculum beneficium, quod in Ecclesia unicum est: uti &, cujus solius collatio pertinet ad collatorem. Cujusmodi beneficia alternativâ non comprehendit, cum Gloss. *in Clement. 1. V. Incerta* volunt Falco *de Reservat. q. 3. pr. n. 32.* & Selva *Lib. 3. de Benef. q. 11. à n. 71.* quòd verisimile non sit, Papam ad se id avocare & collatorem unicâ, quam habet, conferendi potestate privare voluisse. Sed rationi huic vim, si quam habet, omnem adimit generalitas & vis verborum valde pragnantium, §. *Reg. citt.* *Quacunque & qualitercunque qualificata*; ac proin etiam Monocula beneficia comprehenduntur: iisque accedentes Rotæ decisiones. Accedit; quòd Monocularia sint fere omnia beneficia curata: quæ alternativâ comprehendit, mox statuatur. Unde Monocularia alternis mensibus ad Papæ & inferiorum collationem pertinere, pene indubitatum, ajunt *citt.* Gonzalez *gloss. 9. §. 4. à n. 15.* Garcias *n. 518.* Cochier *gloss. 4. n. 5.* & Nicolarts *dub. 2. §. 3.*

Quartò de Parochialibus, quæ du- 137.  
bia reddit rescriptum Bonifacii VIII. *c. Cum in illis 16. in 6.* declarantis, mandatò Apostolicò; ut alicui provideatur de Ec-

N 3

clesia,

clesia, dignitate, personatu aut quocunque alio beneficio, non comprehendit Ecclesiam parochialem; nisi animarum cura expressa mentio fiat. Unde nomine beneficii simpliciter prolatò, etiam si ei adjiciatur particula generalis *Quocunque*, parochiale non venire videtur. In specie autem alternativam ad Vicarias perpetuas, parochias & similia non extendi, desumitur ex eo; quòd Germaniæ Concordatis non plura referuntur, quàm Regulis Cancellariæ: quibus ejusmodi vicarias non refervari, à Rota decisum, testis est *cit. Nicolarts dub. 7. §. 9.* Imò Pius V. *Constit.* quæ incipit *Ad exequendum Cal. Novemb. 1567.* editâ dictas Vicarias ad nominationem parochorum aut aliorum, quibus unitæ sunt, pertinere, asserunt omnino indistinctè, & sine ulla mensurâ mentione, *cit. Gonzalez gloss. §. §. 3. à n. 59. & Garcias p. 9. de Benef. cap. 2. §. 2. à n. 289.*

Nihilominus, parochialia quoque beneficia alternativâ comprehendit, cum jam *cit. D.D. Flamin. Lib. 8. de Resignat. q. 9. n. 103. & Pafecio Prax. Episc. p. 2. cap. 5. art. 3. V. Beneficium quoque tradit cit. Nicolarts dub. 6. §. 5.* permotus antè allegata generalitate *Concordatorum. & Reg. 8.* verbis *Cum cura & sine cura* parochialia satis exprimentis, nihil obstante, *c. Cum in illis cit.* quia, sicut istò contentæ declarationis ratio; quod de idoneitate impetrantium beneficia curata notitiam habere velit Papa: sic ipsa etiam declaratio ac dispositio locum duntaxat habet ad effectum impetrationis, & non restringendæ reservationis, *Gonzalez gloss. 6. num. 18.*

Neque hac in re paritas est cum Vicariis perpetuis; quia de his aliud suadet *Reg. cit. & præsertim Constitutio Piana.* Neque obstat; quòd alternativæ subjacent beneficia, quæ sunt juris patrona-

tis Ecclesiastici; quia jus, quod Rectori principali respectu Vicariæ, suæ Ecclesiæ Monasterio vel beneficio unitæ competit, non est nudum jus patronatus, sed conjunctum cum dominio temporalium, *Glossa in Clement. 1. V. Jus presentandi de Jure Patronat.* neque præcisè respiciens præsentationem, ut patronatus Ecclesiasticus: sed nominationem, continentem vim institutionis, *c. 1. de Capell. monach.* cum eam sequens institutio Ordinarii solum Authorizabilis, sive nominati approbatio sit ad curam, ut à Rota decisum est apud *Nicolarts cit. §. §. 9.*

Quintò, de dignitatibus quibusdam, scilicet in Ecclesiis Cathedralibus Pontificali proximâ, & in Collegiatis Ecclesiis primâ dignitate inferioribus; uti & de iis, quæ Officia & Administrationes nuncupantur; ea enim in Germania nostra alternativæ subjacere, perspicuè desumitur ex *Concordatis*, quibus Papa, cum quarundam electivarum dignitatum ac beneficiorum dispositionem Germanis reliquisset, subjungit, de cæteris se observaturum menses alternos. Nihilominus inter ea distinctioni locus est; vel enim in Titulum & perpetuò, seu ad provisi vitam conceduntur, vel non? Si prius, ea, quocunque nomine vocentur, alternativæ subjacere, & in mente Apostolico vacantia Papæ esse reservata: Si posterius, ea quocunque mense vacent, ad inferiorum collationem semper pertinere, docent *cit. Gonzalez gloss. §. §. 1. à n. 5. Flamin. Lib. 2. q. 1. n. 92. Cochier ad cit. Reg. 8. gloss. 1. n. 24. Nicolarts Tit. 1. dub. 1. §. 16. dub. 3. à §. 2. & Weils in Concord. assert. 19.* Ratio prioris est; quia ea, quæ in Titulum conferuntur, quomodocunque nominentur, re ipsa propriè dicta beneficia Ecclesiastica sunt, hisque apertè accententur *c. Nulla 2. V. Cum verò de Concess. præb. & c. fin. pr. in 6.*

ac proinde à provisione alternativa, §. De cateris & Reg. 8. cit. placitâ, eximi non possunt. Posterioris autem; quodd, quæ in titulum non conferuntur, Manualium jure censentur. Unde cit. alique DD. Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum Decanatus, Archidiaconatus, Primiceriatus, Scholasterias & similes dignitates atque officia obnoxiiis alternativa; ac proinde in mense Apostolico, etiam extra curiam vacantia Papæ reservatis accensent: Vicarii autem generalis, tam Episcopalis quàm Capitularis, dignitatem, Custodis, Cellarii, Protonotariorum &c. officia ab alternativa esse exempta: & quocunque etiam Apostolico mense vacant, ad Episcopi aliorumve inferiorum provisionem pertinere, docent.

140. Sexto, de beneficiis fundatis & erectis post inita Concordata; ad ea enim his placitam alternativam porrigentibus obtare declaratio Clement. fin. de Rescript. cujus tenor est, *Nostras super conferendo tibi beneficio vacaturo directas literas ad beneficium post datam ipsarum creati statum non extendi*; & si hic ejus tenor non obstat, manus aliquando ligare videtur voluntas fundatoris, ea quocunque mense vacant, solius Ordinarii diocesani vel alterius collatoris inferioris provisioni in ipso foundationis limine expressè subijcientis, arg. l. In traditionibus 48. ff. de Pañis.

Sed hoc leve, & ejusmodi voluntas inefficax est; quia fundator derogare nequit juri, de beneficiis cæterisque juri- bus Ecclesiasticis disponendi, Papæ vi jurisdictionis à Christo immediatè acceptæ competenti; cum de re sua facere nemo queat, ut jura etiam humana super ea statuta non habeant locum, l. Nemo 55. ff. de Legat. 1. & privata dispositio testatoris aut alterius fundatoris non possit generalem Constitutionem Canonis im-

mutare, ut dicitur c. Requisisti 15. de Testament. Non major vis est Clement. cit. cum; quia eâ agitur de prima vacatione post beneficii erectionem: quam etiam alternativæ subijci, verisimile non est; ne Ordinarius, à se in mense Apostolico fundati beneficii collationem sibi non competere videns, à fundatione retrahatur, cit. Garcias n. 520. & Nicolarts dub. 4. §. 4. tum verò; quia Clem. cit. de speciali reservatione pro certa persona, quæ odiosa & restringenda, c. Quamvis 4. pr. in 6. præsentem autem dubitationem de generali, legali, & quia ex pacto publicæ utilitatis causâ inuito orta est, favorabili est sermo.

Quare Concordata, iisque firmatam alternativam & Reg. 8. cit. etiam ad beneficia postea erecta porrigi, merito docent cit. Gonzalez Gloss. 9. §. 5. à n. 44. Garcias n. 519. Wamelius Tom. 1. Consil. 242. Cochier Gloss. 4. n. 9. Barbosa n. 81. Nicolarts dub. 4. n. 2. & Weils Assert. 22. Ratio est; quia Concord. & Reg. cit. verba generalia, Quocunque & qualitercunque qualificata beneficia, alternis mensibus reservant Papæ, aut inferiorum collationi relinquunt: eaque generalitate etiam novæ erectionis qualitate prædita comprehendi, fuit expediens & ad finem per Concordata intentum propè necessarium; ne, si Papa, ut ante inita Concordata, Præventionis jure de iis vacaturis provideat, inferiores facile graventur: & si quovis mense vacantia Papa & inferiores conferre, seque mutuo prævenire nitantur, collationes cum damno Ecclesiarum & animarum periculo præcipitentur.

Septimò, de beneficiis vacantibus 141. per Resignationem. Non quidem tacitam; talia enim non, quasi in Curia vacant, sed Apostolicæ reservata: sed alternativæ obnoxia, ex dictis constat.

N 3 Neque

142. Neque etiam per expressam in alterius favorem; cum enim hujusmodi resignatio admitti à solo Papa possit, eà factà, & ab isto admittà dimissum beneficium, tanquam in Curia vacans, provisioni Apostolicæ est reservatum, juxta dicta n. 83. Neque etiam vacantia per resignationem ex causa permutationis; cum enim hujusmodi permutatione, quocunque mense factà, beneficia per eam dimissa ipsis permutantibus, non aliis, conferenda sint, alternativæ subjecta non sunt, sed ab Ordinario conferri possunt. Cujus ratio reddi solet; quòd beneficia permutata non vacent ad reservationis & similes effectus: sed solummodo; ut permutantibus valeant conferri, *citr.* Gonzalez *Gloss.* 14. n. 31. Branden *q.* 12. n. 13. Cochier *ad Reg.* 8. *gloss.* 11. n. 29. Nicolarts *dub.* 9. §. 9. & Weis *Afser.* 23. n. 3.

143. Sed per Resignationem expressam & simplicem, sive purè & absolutè factam; per hanc enim vacantia alternativæ non subjacere; ut Germaniæ Episcopi quorumcunque beneficiorum, aliunde non reservatorum, resignationes, sicut in suo, sic etiam in Apostolico mense admittere, eaq; resignata conferre liberè valeant DD. qui Germaniæ Concordata scriptis illustrarunt, communis sententia & ratio est; quòd per *Concordatorum* reservationes Papa noluerit duriorrem facere conditionem Episcoporum Germaniæ, quàm Ordinariorum aliarum Nationum est per *Regulas Cancellariæ*: vi quarum ab his conferri possunt beneficia vacantia per resignationem simplicem, ut constat ex earum *Regula* 8. Ita DD. allegati atque, à Praxi & specialibus diocesium juribus abstrahendò, verisimiliter omnino.

Contrarium tamen & alternativæ in beneficiis vacantibus per reuuntiationem

generaliter, & inter istius modos non distinguendò locum esse, asserit Zerola *Prax. Episc.* p. 2. V. *Alternativa* §. 1. Cujus doctrina, saltem si ad Germaniam restringatur, suaderi potest partim ex eo; quòd istius Concordata de ceteris dignitatibus ac beneficiis (omissis *Reg.* 8. verbis, *Alias quàm per Resignationem*) absolutè, & inter vacandi modos non distinguendo dicant, ea, cum vacabunt, alternis mensibus à Papa vel Ordinario conferenda: partim verò; quòd nihilominus conditio Ordinariorum Germaniæ post Concordata non sit durior, quàm est aliarum Nationum vi *Regule cit.* cum vi hujus alii tantum tertio quovis: vi illorum autem Germaniæ Episcopi alternis mensibus vacantia valeant conferre.

Dixi etiam, à Praxi & juribus *dioceseon specialibus abstrahendò*; ne aliquid derogarem juribus Serenissima Domus Electoralis Bavarie nostræ: quæ, sicut jus mensis Papalis in Bavaria præscripsit, ut constat ex *Recessibus Concordatæ cum Ordinariis Dioceseantis* §. 6. V. *fin.* verbis, *Das Jus des Päpstlichen Monats / so der Landesherrst præscribiet* sic id præscribere etiã potuit respectu beneficiorum mense Papali vacantium per simplicem resignationem, si in quasi possessione juris ea etiam per resignationem vacantia (uti etiam ad alia) quæ alternativè subjacere hætenus negavimus, clericis præsentandi legitimo tempore fuit, ut rectè ostendit Prænob. & Magnificus Collega D. Dominicus Bassus *Semicenturie sue Controvers.* 42. à n. 8.



## ARTICULUS VIII.

## De Annatis, seu fructibus primi anni.

## SUMMARIUM.

145. Annata de quibusdam beneficiis Camera Apostolica solvuntur.  
 146. Earum species sunt I. Servitia communia:  
 147. II. Servitia minuta:  
 148. III. Annata specificè accepta:  
 149. IV. Quindennia seu quindena.  
 150. Annata Concilio Viennensi sunt antiquiores.  
 151. Earum honestatem impugnantiam,  
 152. Eamque rectè propugnantium fundamenta,  
 153. Et confutatio argumentorum, contra eam deductorum.

145. **A**nnatarum nomine generatim sumptò veniunt quæcunque pensiones sive quantitates pecuniae, quæ de Episcopatum, aliarumque dignitatum & beneficiorum Ecclesiasticorum vacantium fructibus primi anni, vel ratione eorum Camera Apostolica solvuntur, Fagnanus *in c. Præerea 1. Ne Prælati vices n. 8.* Quò modò acceptarum Annatarum quatuor species distinguuntur à *cit. Fagnano n. 9.*

146. Prima, licet vulgò passim *Annata*, ab Italis tamen & in Germaniâ *Concordatis* §. *Placet similiter etiam Communia servitia* nuncupatur; quòd eius dimidium Papæ, & dimidium Cardinalibus præsentibus obveniat, ut idem *n. 11.* observat: estque fructus primi anni sive summa pecuniæ, quæ eorum ratione post novi Prælati electionē prædictæ

Camera, secundū ejus librorū taxam, solvitur de Prælaturis Consistorialibus, sic dictis; quòd à summo Pontifice in Consistorio Cardinalium, rogatis istorum sententiis, conferantur: cujusmodi in Germaniâ nostra sunt non tantum Archi- & Episcopatus, sed aliæ quoque Principales Prælaturæ, tam Regulares quàm Seculares, sedi Apostolicæ immediatè subjectæ, vg. Campidunensis, Fuldenfis, Elvacensis. Quantumvis autem ex hujusmodi Prælaturis Camera illi fructus primi anni integri debeantur, taxa tamen ex benignitate Apostolica ejusdem Camera libris ita moderata est; ut summa seu quantitas, quæ ratione ejusmodi fructuum penditur, quintam istorū partē ferè non excedat: & illius tantum dimidia primò, altera verò pars secundò primùm annò: & si unò annò Prælatura bis aut pluries vacet, non plures sed una duntaxat Annata sit solvenda: onusque solvendi non transeat ad successorem. Præterquam, quòd, si beneficia aliqua excessivè taxata appareat, Papa se offerat ad ea retaxanda & Annatam mitigandam, §. *Placet cit. ubi Wagnereck not. 2.*

147. Altera sunt *Servitia minuta*, sive quædam modicæ portiones Annatarum, quæ secundum proportionem taxæ fructuum Episcopatum vel Abbatialium inter quosdam Papæ ministros seu Officiales minores distribuuntur, *cit. Fagnano n. 12.*

148. Tertia, sive *Annata* propriè & specificè sumptæ sunt dimidia pars fructuum primi anni, eidem Camera solvenda de cæteris dignitatibus & beneficiis Secularibus ac Regularibus, quæ à Papa conferuntur, si eorum valor sive redditus annus viginti quatuor florenos auri de Camera sive dugatos excedat, secundum ejusdem taxam: quæ tamen ita moderata est, ut Germaniæ & Hispaniæ canonicatus

nicatus omnes, etiam si verus reddituum valor ad mille dugatos ascendat, in Camera tamen non nisi viginti quatuor dugatis aestimentur; indeque de iis non solvantur annatae; Cochier *ad Reg. 61. n. 27.* inò nihil omnino, nisi quod pertinet ad Bullæ expeditionem, *citt.* Wagnereck §. *Placet cit.* & Fagnan. n. 10.

149. Quarta sunt *Quindennia*, sive dimidia pars fructuum unius anni, eidem Camerae singulis quindecim annis solvenda de beneficiis quibusdam unitis, aut ex speciali privilegio liberatis à reservatione: quâ ratione hodie *Quindennia* sive *Quindenæ* solvuntur de Præpositura Cathedrali Augustana; quòd, cum aliarum instar esset reservata, speciali indulto Papæ facta sit Electiva, *citt.* Wagnereck §. *cit. not. 3.* & Fagnanus n. 13.

150. Annatarum hæcenus declaratarum originem Joanne XXII. Bonifaciò IX. & multò, quàm RR. aliqui & præsertim Hæretici volunt, antiquiorem esse, vel inde constat; quòd approbatæ sint in Concilio Viennensi, illis Pontificibus antiquiore: à memorato autem Bonifacio IX. tertiæ annatum speciei sive unius anni fructibus integris, in beneficiis inferioribus suffecta sit altera, dimidios tantum anni fructus exigens: quæ propterea ab autore suo Bonifaciana nominatur, Fagnanus *cit. n. 10.*

151. Quodocunque autem introductæ sint, adversus earum exactionem non solum Hæretici semper debacchati, sed ex Catholicis etiam fuerunt, qui earum honestatem justitiàmque cum Acephali Concilii Basileensis & prævalentis in eo Gallicæ nationis Patribus impugnant; quòd Divino & ipsi etiam Ecclesiastico seu Pontificio Juri adversentur; Divino quidem; quia istò gratis accepta gratis dari, Matth. *cap. 10. v. 8.* atque Ecclesiæ ministri, & præcipue Prælati, ab

omni mali specie quoque abstinere jubentur, 1. Thesal. *cap. 5. v. 21.* Ecclesiastico verò; quia hoc Jure passim & titulo totò, tanquam crimen gravissimum damnatur Simonia, quâ spirituale aut huic annexum pro temporali datur.

Indubitatè tamen alii, earum exactionem solutionemque non solum à Simoniacæ labis injustitiæque turpitudine remotam, sed rationabilem & omnino necessariam esse, ostendunt cum Eminentissimo Card Sfortia Pallavicino *Historia Concilii Trident. Lib. 2. cap. 8. n. 4.* & Fagnano *in c. Præterea cit. à n. 14.* non tantum ad S. R. E. Cardinalium & Curia Apostolicæ Officialium, Legatorum cæterorumque Ecclesiæ ministrorum sustentationem; ad præmia remunerationemque bene de Christiana Republica meritorum, ac miserorum indigentia levamen: sed etiam ad Fidei propagationem inter Infideles, ejusdemque inter Hæreticos conservationem; ad defensionem ejusdem adversus Ecclesiæ & Christiani nominis hostes, aliisque publicas necessitates sublevandas: in quam causam ab Innocentio XI. Romanæ Ecclesiæ ærarium bello Turcicò, superioribus annis gloriosâ & Christianæ rei utilissima pace fuitò, liberalissimè profusum ac pene exhaustum, nemo est, qui ignoret, & ipsi etiam Ecclesiæ hostes admirantur. Accedit; quòd per eas in inferioribus prælatis conservetur memoria Originis suarum Ecclesiarum ac dignitatum, eorumque erga Ecclesiam Romanam cæterarum omnium Matrem ac Principem subjectio & observantia conservetur: neque ita facilè in Schismata declinent, his præsertim temporibus, quibus à reverentia Christi in terris Vicario debita multum est recessum, Wagnereck §. *Placet cit. pr.*

Ea, quibus impugnantur, ritè ponderata,

deratâ, sanè levia sunt; quia Annatæ neque exiguntur à Papa, neque ab inferioribus Ecclesiæ Prælati ac beneficiatis solvuntur pro ipsa confirmatione, vel collatione dignitatum aut beneficiorum Ecclesiasticorum: sed in recognitionem, cum supræmæ & universalis Ecclesiæ potestatis in ipso residentis: tum verò fundatarum ab Ecclesiâ Romana Titularium omnium dignitatum ac beneficiorum, *can. 1. Sc. dist. 22* & tanquam portio debita Pastori, curam gerenti omnium Ecclesiarum & Ecclesiasticorum, *c. Cùm instantia 17. de Censibus*, pro ejus sustentatione & necessitatibus: ad eum ferè modum, quò decimæ decimarum summo Sacerdoti & Pontifici à minoribus Sacerdotibus ac Levitis ex præcepto Divino solvebantur in Veteri Testamento, *Num. cap. 18. v. 27.* ad ejus imitationem, quia introductæ, ab omni mali specie etiam remotæ sunt, Eckius in *Enchirid. Tit. de Annatis & Fagnanus l. cit. à n. 17.*

## ARTICULUS IX.

De Primis Precibus  
Imperatoris ac Regis Romanorum.

## SUMMARIUM.

154. Imperator ad beneficia Nominationem semel facit,  
 155. Per Primas vel Primarias Preces:  
 156. Quæ honestæ & hodiernò usu receptæ sunt:  
 157. Et concedi etiam ante Electionis confirmationem:  
 158. Earumque executores ac subexecutores,  
 159. Et ferè his decedentibus successores dari possunt.
160. Primis Precibus subjiciuntur generaliter beneficia quævis,  
 161. Etiam Regularia, cum aliquò tamen inter hæc discrimine.  
 162. Non etiam beneficia reservata Extravag. Ad Regimen 13. inter Com. hic,  
 163. Resignata ex causa permutationis, vel in tertii favorem,  
 164. Et quæ sunt juris patronatus Laicalis vel Mixti:  
 165. Neque etiam beneficia Revocabilia ad nutum, Unita,  
 166. Litigiosa, Devoluta ad Sedem Apostolicam,  
 167. Et Monocularia.  
 168. Illis tamen subjiciuntur, quæ canonici conferunt per turnum.  
 169. Prima Preces clericis jure non impediuntur,  
 170. Et qualitates, jure Communi vel infundatione requisitas, habentibus conceduntur:  
 171. Non tamen ad plura de jure incompatibilia simul retinenda.  
 172. Ad unum beneficium nominari in possunt plures:  
 173. Ex quibus primò, vel ab ipso Imperatore nominatus alius præfertur:  
 174. Eoque institutio aliam nominandi jure expirat.  
 175. Unius preces concedi possunt ad plura beneficia:  
 176. Qui tamen beneficium vacans, quod vult, acceptare debet intra mensem:  
 177. Etsi id aliquando post illum lapsum,  
 178. Primòque omisso secundum, vel tertium consequi:  
 179. Et aliquando, Precibus omisso, beneficium ex Ordinarii collatione acceptare valeat.

O

180. No-

180. *Nominato ad beneficium necessaria est institutio:*  
 181. *Quam fere ab Ordinario consequi potest.*

154. **E**X speciali Sedis Apostolicæ privilegio Imperatori ac Regi Romanorum electo competit jus ad beneficia Ecclesiastica, in Ecclesiis vacatura aut actu vacantia, nominandi personam aliquam idoneam; ut Ordinarii vel alii, ut ad quos pertinet, eam beneficium intra mensem acceptantem recipere teneantur, ut patet ex *Indulto Primariarum Precum*, Ferdinando III. à Paulo V. concessarum, relatò & Scholiis illustratò à Joanne Cochier §. *Hinc est*. Quæ ad beneficia nominandi facultas antiquissimi usus est; cum, eam pluribus abhinc seculis viguisse, omnino indubitatum sit: ejusque indultæ privilegium à se visum, Speculator *Tit. de Præbend. §. 2. n. 7.* qui quintò abhinc seculò vixit: eaque, ab Antecessoribus ad se perducta Consuetudine, Rudolphum I. qui in Romanorum Regem electus est annò 1273, usum, Nauclerus in *Sua Chronologia* perhibeat; ut adeo privilegium hoc multò ante memoratum Imperatorem tempore viguisse, luculenter appareat.

155. Vocari autem ejus vigore ad beneficia concessæ Nominationes solent *Prima & Primaria Preces Imperiales ac Regales*. *Prima* sive, ut Speculator *l. cit.* loquitur, *Precum Primitiæ*; quòd cujusque Imperatoris ac Regis Romanorum prima, & in una eademque Ecclesia unica seu non iteranda petitio sint, Pirrhing *ad banc Rubr. n. 367.* & Herman. Hermes *Fascicul. Juris publ. cap. 11. n. 6.* *Primaria* autem; quòd præferantur cujusvis alterius per electionem, præsentationem, nominationem, libe-

ramve collationem factæ faciendæque provisioni: eique obnoxium sit beneficium quodcumque, sive id in Apostolico, sive in Ordinariorum mente vacare contigerit: dummodo reservatum non sit per *Extravag. Ad Regimen 17. inter Communes*; quia *Primariarum Precum* Apostolico indultò Germaniæ Concordatis, Cancellariæ Regulis, statutis & Consuetudinibus Ecclesiarum particularibus &c. expressè derogatur §. *Non obstantibus*, ut notat *cit. Cochier Indult. sess. 5. Wagnereck* in ejus, *c. Is cui 19. in 6. subje. citi, Exegeti §. 4. n. 5. & cit. Pirrhing n. 386.*

An Preces hæ Imperiales ac Regales Juri, Novissimo præsertim, consentaneæ, iisque hodie locus sit, primò intuitu quis ambigat; quòd provisio de viventium præbendis, & beneficiorum vacaturorum Expectativæ, tanquam alienæ mortis optandæ captandæque & tristissimi eventus occasio, sanctionibus Ecclesiasticis, *c. Detestanda 2. c. Ne caprandæ 3. de Concess. præb. in 6. & ab Oecumenicis Conciliis Lateranensi, c. Nulla 2. Rubric. cit. & à Tridentino Sess. 24. cap. 19. de Ref.* reprobentur. Sed, re accuratius æstimata, non est, cur de earum honestate, & hodie quoque licito usu ambigamus; cum enim sanctiones illæ non obstant, quò minus de beneficiis vacaturis providere Papa hodièque possit, ejusdem manus non ligabunt, quò minus ad ea, non solum vacantia, sed vacatura quoque primas Preces offerendi potestatem Imperatori Regique valeat communicare, *arg. c. Significasti 4. de Elect. & dicti Concilii Sess. 25. cap. 21. de Ref.* præsertim; cum Preces illæ concipiuntur generatim: & nulli certæ, sed incertæ tantum personæ decessuræ succedendi jus tribuant nominatis. Quarum & Imperatoris personæ, speciali notâ dignif-

dignissimæ, cum mentionem ullò verbò non faciat S. Concilium *cap. 19. cit.* hoc ejus decretò ipsis non derogatum, Apostolicâ autoritate declaravit Gregorius XIII. *Constitutione edita 25. Januarii 1575. cit. Cochier Proem. §. Interea in fine & Pirrhing n. 385.*

157. Porro Primariarum Precum privilegio uti, & ad vacatura vacantiæque beneficia idoneas personas nominare Imperator electus ante suam Coronationem & Confirmationem etiam potest; quantumvis enim per istam Imperialis potestas compleatur, & administrandi facultas de Jure tribuatur, *arg. c. Nostri 9. c. Qualiter 17. de Elect. & c. Avaritia §. in 6. Consuetudine tamen spectatâ, hoc ipsò; quòd electi statim administrent, teste Panormit. in c. Venerabilem 34. de Elect. n. 26. & Castaldo de Imperat. q. 46. non est, cur Primariarum Precum usus, personæque ad beneficia nominandi facultas ei denegetur; cum talis nominatio administrationis sit actus, Wagnerck *Indulti §. 1. in fine*, id confirmans exemplò Ferdinandi IV. à quo in Romanorum Regem electo ante Confirmationem obtentam, & petitam, ejusmodi Preces, earumve saltem Expectativas cumulatim concessas, ait.*

Habent autem propositæ Preces locum in omnibus Ecclesiis Cathedralibus, etiam Metropolitanis, Collegiatis & quibusvis aliis, sitis in Imperio Romano, secundum statum ejus præsentem, sive in omnibus provinciis, saltem Germaniæ nostræ, Imperatorem recognoscentibus tanquam superiorem, Navarrus in *Rubric. de Judiciis n. 156. cit. Cochier §. 2. V. Per sacrum & Wagnerck §. 2. pr.* in quibus Imperator aut Romanorum Rex ad primò vel postea vacaturum aut actu vacans beneficium nominationem facere, *Indulti §. Hinc est,*

aut faciendam aliis committere potest; ut à commissario facta nominatio perinde habeatur, acsi ab ipsomet Imperatore aut Rege facta fuisset, *arg. Reg. Qui facit 72. in 6.* sic enim, ab Imp. Wencelao eam nominandi facultatem per dioceses Wormatiensem ac Spirensem Ruperto Seniori Palatino: à Ferdinando II. Electori Coloniensi: ab aliis Impp. aliis concessam, perhibent *cit. Cochier §. 2. pr. & Hermes cit. cap. 11. n. 15.*

Ut autem primariis Precibus ab 158. Imperatore ejusve commissariis factæ certarum personarum Nominationes effectum sortiantur, Imperator autoritate à Sede Apostolica acceptâ constituere solet aliquas personas Ecclesiasticas in dignitate constitutas ipsarum Executores: quæ eadem, scilicet Apostolicâ, autoritate quosvis collatores, etiam exemptos, & ipsos quoque Episcopos, ad se directis Precibus non deferentes, ad beneficia personis nominatis conferenda etiam, si opus fuerit, per censuras Ecclesiasticas compellant, *Indult. §. Quodque quicumque*, ubi hujusmodi executoribus ab Imperatore constitutis, alios subexecutores deputandi conceditur facultas: idque meritò; cum sint delegati summi Principis, qui jurisdictionem sibi commissam aliis subdelegare Jure permittuntur, *c. Super questionum 27. pr. c. fin. de Offic. deleg. & l. A judice 5. C. de Judiciis*: Dummodo tamen executores & subexecutores habeant qualitates requisitas, *c. Statutum 11. pr. de Rescript. in 6.* sive in dignitate Ecclesiastica vel personatu constituti, vel alicujus Ecclesiæ Cathedralis canonici sint, *pr. cit. V. Sancimus, cit. Cochier §. 4. V. Per se vel per alium*, id à Rota asserens decisum, Wagnerck §. 3. *V. Per se & Pirrhing n. 375.*

Si executorem vel subexecutorem, 159. ante-

antequam Preces ad effectum perducantur, mori contigerit, multum interest, an ei commissio facta sit sub nomine proprio personæ vel dignitatis; cum enim dignitas non moriatur, sub ipsius nomine commissæ executio ad successorem transit, *c. Si gratiosè s. de Rescript. in 6. et si, sub nomine personæ proprio commissæ, cum ea expiret; ut necessarium sit recurri ad delegantem, DD. cit. & Hermes n. 71.*

**160.** Dubium nunc est primò de beneficiis, in quibus Primariis Precibus est locus. Quia in re generalis Regulæ instar est, locum iis esse in quibuscunque beneficiis Secularibus & Regularibus, sive ea cum cura sive sine cura, dignitates, personatus, administrationes aut officia sint, ut liquet ex *Indulti §. Hinc est,*

**161.** ubi tamen inter Regularia opus est distinctione; cum eorum quædam Regularia ex sua natura, ut Abbatia, Præpositura, Prioratus, Decanatus, Canonicatus Regularis, Monachus simplex: alia verò merè per accidens, v.g. ex fundatoris voluntate aliâve ordinatione talia sint, ut parochia & capellania, ad monasteria pertinentes & per Regulares canonicè in iis institutos solitè administrari. Quorum priora primis Precibus non subiecti, magister usus docet; ut proinde illis in posterioribus duntaxat locus esse queat: licet ad ista quoque personas nominare soliti non sint Imperatores, cum; quòd ad ipsos pro nominationibus ad ea non consueverit recurri: tùm verò; ne disciplina Regularis turbanda facillè occasio præberetur, *cit. Cochier s. 2. V. Secularibus & Wagnereck s. 2. V. Beneficiorum.*

**162.** Secularia quoque beneficia à primis Precibus exempta tam multa sunt; ut, quæ illis generali Regulâ subiecta sunt, exceptionum multitudine magnam par-

tem subtrahantur. Excipiuntur enim & primis Precibus obnoxia non sunt Primæ dignitates ac beneficia Sedis Apostolicæ provisioni reservata *Extravag. Ad regimen cit.* scilicet omnes Prælatura seu dignitates Pontificales & his proximæ in Ecclesiis Cathedralibus ac Metropolitanis, ut in Germania nostra sunt Præpositura vel Decanatus: dignitates primæ in Collegiatis: dignitates ac beneficia S. R. E. Cardinalium, Officialium, Curialium, familiarium Papæ, istius Legatorum, Curatorum &c. beneficia, quæ vacant in curia, & eorum, qui ad hanc accedentes ab eâve recedentes in locis ultra duas dietas ab ea non remotis decedunt, *Cochier cit. s. 2. V. Dummodo Wagnereck §. 2. V. Eodem & Pirhing n. 370.* Secundo, beneficia ex causa permutationis, etiam coram Ordinario, & in favorem tertii in manibus Papæ resignata; quia talia vacare non intelliguntur: nisi ad effectum, ut ipsis permutantibus vel iis, in quorum favorem cessâ & dimissa sunt, conferantur, *Cochier cit. s. 2. V. Super singulis n. 8.* Tertio, beneficia juris patronatus Laicalis & Mixti, sive alicui ratione proprii patrimonii, alii verò ratione Ecclesiæ, dignitatis, beneficii vel officii Ecclesiastici competentis; quòd, ne laici à piis fundationibus facillè retrahantur, ea generali dispositione derogatoriâ Ecclesia noluerit comprehendere, *Cochier cit. s. 2. V. Presentationem, Wagnereck §. 2. V. Collationem & Engel n. 70. not. 5.* Quarto, manualia revocabilia ad nutum, vicaria & commendæ temporales ac pensiones: sicut & beneficia, quæ mensæ Episcopalis, Capitulari, perpetuò sunt incorporata, vel alicui Ecclesiæ, dignitati, collegio &c. unita; quia talia vel non conferuntur in titulum, vel propriè non vacant, *Cochier s. 2. V. cit. n. 4. 15. &c.* Quinto, *164. 165. 166.* benefi-

beneficia litigiosa, sive super quorum proprietate cum eorum possessoribus defunctis mota lis adhuc indecisa pendet, *Indulti §. Quodque cit.* cum quia generatim Expectativæ non cadunt super beneficia litigiosa, ut à Rota decisum, ait Wagnerck §. 3. *V. Restrigitur*: tum verb; quia, antequam ad ejusmodi collationem procedatur, lis cum colligatore superflite finienda est; ne, novò adversariò per collationem subrogatò, cum Ecclesiæ damno lis prorogetur, *c. Ut ii 2. Ut lite pendente. in 6. Cochier in §. cit. V. Neque super & Wagnerck l. cit.* Nisi tamen lis super sola possessione mota, vel notoriè injusta & calumniosa foret; quia hujusmodi lis vitium litigiosi non inducit, *DD. cit. cum Mandosio in Reg. de Surrog. collig. q. 11. n. 6. & q. 13. n. 4. Sextò*, ad sedem Apostolicam legitime devoluta, §. *Quodque cit.* etsi beneficia devoluta ad immediatum superiorem, Papà inferiorem, Precibus comprehendantur, *arg. §. cit.* quia exceptio firmat Regulam contrariam in casibus non exceptis, *l. Quæstum 12. §. 43. V. Denique ff. de instrum. & instr. leg. cit. Cochier §. 4. V. Ad sedem & Pirching n. 383. Septimò*, Monocularia sive ea, quæ in aliqua Ecclesia unica sunt, vel ad collatorem unice spectant; quia primarum Precum indultò si solum collatores gravantur, qui saltem quatuor beneficia habent sub sua collatione. Unde ad collationem suam pertinens unum tantum, alterumve habens primas Preces Imperiales admittere non tenetur. Quod ita provisum est; ne fortassis, si plures Imp. intra breve tempus rebus humanis eximi & novos succedere contingat, collatores Ordinarii facilè totò vitæ tempore conferendi, eligendi, præsentandive aut nominandi jure uti nunquam possint, *citt. Cochier V. Saltè quatuor Pirching n. 370. & Hermes n. 39.*

Neque hinc legitime inferitur, primis Precibus raro locum fore in Ecclesiis Cathedralibus ac Metropolitanis; quòd earum canonicatus passim conferri soleant per turnum; ut vix ullus, imò ferè nullus sit, qui quatuor valeat conferre; quia illarum canonicatus à singulis non conferuntur jure ac nomine propriò, sed jure Capituli, cujus sunt membra; collatio enim communiter ad ipsos, tanquam membra communitatis, sive ad Capitulum, vel ad hoc & Episcopum pertinet: atque idcirco Preces ad Episcopum & Capitulum, vel ad Decanum & Capitulum diriguntur, & afficiunt turnarii collationem, *citt. Cochier & Wagnerck V. Communiter* ubi uterque duo monet. Primum est; quòd, si beneficium conferendi jus canonicus non communi & capitulari, sed speciali jure, v.g. ratione dignitatis extraneæ obtineret, talem ipsius collationem non affici Precibus ad decanum & capitulum directis. Alterum, si collatio communiter competat Episcopo & Capitulo, Prælatò & Conventui, Precibus Imperialibus, etiam soli Episcopo aliive prælatò insinuat, affici Capitulum seu Conventum, cui insinuatio facta non est, secundum Rebuff. *de Nominat. q. 14. n. 80.* quia id, quod agitur cum capite, etiam ad corpus pertinere censetur.

Beneficium etiam primis Precibus subjectum ut ab Imperatore nominatus consequatur, idoneus esse debet. Unde imprimis requiritur; ut non laicus sed clericus sit, primà saltem Tonfurà initiatus, *c. Cum adeo 7. de Rescript. & c. Ecclesia 2. de Institut.* Saltem tempore acceptationis & collationis, *c. Cum de beneficio §. in 6.* quia in beneficialibus attenditur tempus præsens, sive tempus collationis, *c. Si eo tempore 9. de Rescript. in 6.* Deinde; ut non sit illegitimus, vel aliquà, sive ex defectu sive ex delicto proveniente

168.

169.

veniente irregularitate & Juris communis obstaculo impeditus, *Indulti §. Quodque*: nisi cum eo à sede Apostolica fuerit dispensatum, Cochier §. cit. V. *Aus de legitimo* & Hermes cit. cap. 11. n. 52. Præterea; ut habeat ætatem, Ordinem & qualitates alias, quas beneficium ex Juris communis dispositione aut fundacione requirit; cum enim Juri illi & in fundacione appositis conditionibus derogandi vim Preces Imperiales non habeant, ejusmodi qualitatibus carenti clerico beneficium, sine prævia dispensatione, non poterit conferri Aliud esset, si qualitas aliqua in beneficiato non à fundatore vel Juris communis conditore, sed solummodo speciali Ecclesiæ statuto vel Consuetudine requireretur; cum enim hujusmodi statuta, etiam à sede Apostolica vel juramento confirmata *Indulti §. Quodque cit.* relaxentur, iis requisitarum qualitatibus defectus per primas Preces nominato obstat non poterit, quò minus beneficium vacans valeat acceptare, cit. Cochier §. cit. V. *Ac secundum*, Pirrhing n. 381. in fine & Wagnerech §. 3. *Extens.* 4. ubi, ex hoc fundamento Nobilis Ecclesiæ capitulum, à Ferdinando II. nominatum Precistam nobilitate carentem, in canonicum recipere vigore *Indulti §. cit.* tandem coactum, perhibet. Demum; ut Precista vi primariorum Precum obtenti beneficii pacificam possessionem assecutus dimittat beneficium, si quod, cum illo quoad residentiam & servitium incompatible, antè obtinuit; quantumvis enim Preces ad pluralitatem extendantur; ut qui in diversa, imò in eadem Ecclesia unum vel etiam plura beneficia jam habet, Precum illarum vi aliud difforme sive quoad servitium seu ministerium compatibile, vg. dignitatem cum canonicatu, beneficium curatum cum simplici consequi, & utrumque simul retinere valeat sine A-

postolica dispensatione: istà tamen opus est, quando beneficia, sive in eadem sive in diversis Ecclesiis sita, residentiam vel servitium incompatible requirunt, cit. Cochier f. 4. V. *Et persona* & Wagnerech §. 3. *Extens.* 3.

Dubium secundò est, an Imperator, aliquò vg. Titio Precibus ad beneficium nominato, variare, aliòvme nominare possit. Ratio dubitandi est; quia imprimis variatio, in personis præsertim gravibus ac sublimibus, ut præ aliis Imperator est, reprobatur, *Clement. unic. de Renuntiat.* cum Principe unum calum unamque linguam, non plures, oporteat habere, *Laudensis de Princip. q. 258.* Dein; quia per primas Preces facta personæ nominatio gratia est ac beneficium: quod à Principe concessum deest esse mansurum, *Reg. 16. in 6. & demum*; quia eadem Preces obtinent vim præsentationis: quæ instituenti semel oblata nequit revocari, *c. Cum autem 24. ibi, Eò non refutato, de Jure Patronat.* Verum, quia primis Precibus, licet ad vacantia quoque possint, plerumque tamen ad vacatura beneficia nominationes fiunt, earum revocationi, re adhuc integra, locum esse, merito defendunt cit. Cochier f. 2. q. 2. Wagnerech §. 2. V. *Hujusmodi nor. 3. & Pirrhing num. 372.* ducti exemplo legati à latere, à sibi facta beneficii vacaturi pro certa persona reservatione recedere, idque alteri conferre, si velit, valentis, *Glossa & Joan. Andr. in c. Presenti 3. V. Pendente de Offic. Legat. in 6.* Cur non etiam Imperator? cujus Precibus nominato non acquiritur jus in beneficio, sed imploratio tantum officii collatoris vel executoris; ut de eo vacante sibi provideat, aut facias provideri: quæ imploratione beneficio vacante facta res integra desinit esse: ut beneficium ipsi debeat conferri, saltem si ejus officium

officium non impleretur ab alio, ad idem beneficium nominato: etsi revocationi locus adhuc sit, postquam uni Preces jam decretæ, ejusque nomen in albo seu rotulo Imperatoris jam est descriptum; cum enim illo, non etiam hoc casu, gratia & beneficium à Principe concessum sit, illò, non etiam hoc casu id non revocari, sed permanere necesse, & locus est *Reg. cit.*

173. Quare, si ad idem beneficium vacans concurrant & Precum literas offerant duo, potior & alteri præferendus erit is, qui nominatus est priùs: & si eodem die expeditas literas uterque offerat, is, cujus literis non sola dies, sed hora quoque est expressa, secundum doctrinam traditam n. 44. Si hora neutrius literis sit expressa, Imperator consulendus erit, *arg. l. 1. C. de LL. Cochier q. 4. & Hermes n. 20.* Nisi duorum alter ab ipso Imperatore, alter ab ejus commissario nominatus esset; hoc enim casu, si de prioritate non constet, ab Imperatore nominatus potior foret; cum propter prærogativam dignitatis, *arg. c. Si à sede 31. in 6.* tum verò; quòd Imperator aliquem ad beneficium nominans, ad id nominandi potestatem ipsò factò videatur revocasse, *cit. Cochier & Hermes l. cit.*

174. Dubium tertio est, an alium Imperator nominare valeat, si ab ipso primò nominatus Precibus renuntiavit vel, antequam istæ per beneficii collationem effectum sortirentur, decesserit, contraxerit matrimonium, aut professus sit Religionem. Ratio dubitandi est; quòd facultas disponendi simpliciter data, de una vice sit accipienda, primòque actu finiatur, *arg. l. Boves 89. §. 1. ff. de V. S.* Sed Brocardium hoc, si, ut debet, de primo actu ad effectum plenè perducto exaudiat, Imperatorem propositis casibus alium nominantem nihil moratur; cum

unam tantum nominationem cum effectu facere intendat. Quare, ei dictis casibus alterius nominationem Jure permissam, rectè docent *cit. Cochier q. 5. 7. & 15. Wagnereck §. 2. V. Hujusmodi & not. 4. & Pirrhing n. 373.* quòd, cum Jure concessus actus effectum secundum concedentis & disponentis intentionem non consequitur, ad unum non restringatur, ex recepta doctrina Baldi in *l. Inventus 17. in fine C. de Procurat.* præsertim in materia beneficii; sic enim, electione, collatione, præsentatione ob electi præsentati vel collatarii obitum, renuntiationem aliãve similem causam effectum non sortitã, electoribus, collatoribus, patronis ejusmodi provisio, ad eamque à Jure indultum tempus integrum iterum conceditur, donec aliqua effectum fortia- tur, *c. Si Electio 26. in 6. Rebuff. de Devolut. n. 35. & Garcias p. 10. de Benef. cap. 2. n. 17.* ut de electione dictum est *Lib. 1. tit. 6. n. 128.*

Dubium quartò est, an unus idemque nominari queat ad plura beneficia in Ecclesiis diversis, *vg. Eystadians, Augustana, Ratisbonensi.* Possè simul & successivè, hoc est, unã eadèmq; sed virtute multiplici, vel pluribus nominationibus, liquet ex omnino claris Indulti verbis, *Ita quòd unam & eandem personam supra dictis collatoribus simul vel successivè nominare possit.* Cujusmodi nominationis vim declarat adjuncta clausula, *Ita tamen, quòd quàmprimùm persona sic nominata de aliquo beneficio provisã fuerit, ejus nominatio quòd alios collatores facta ipso Jure expiret.* Quare Titius *vg.* per primarias Preces ad trium Eystadianæ, Augustanæ & Ratisbonensis Ecclesiarum canonicatus simul vel successivè nominatus, vigore hujusmodi Precum non id, quòd de omnibus canonicatibus simul aut successivè vacantibus ipsi provideri, eosque

176. eosque simul retinere possit; cum ipso unum v.g. Eustadianum primò vacantem acceptante & per collationem assecutò, ad Augustanum & Ratisbonensem facta nominatio, secundùm clausulam *cit.* expiraret; ne præter intentionem nominantis plura beneficia simul obtineat: sed illud solum consequitur; quòd ipsi ad plures vacaturos, sive eum, qui ex pluribus primò vacaturus est, nominato certius & citius de aliquo provideatur, *cit.* Cochier *f. 3. V. Ita tamen* & Wagnereck *V. simul.*

Porro, primariis Precibus nominatus ad beneficium, hoc vacans intra mensem, à tempore vacationis in loco vel Ecclesia beneficii notæ computandum, *arg. Clement. 1. de Concess. Prabend.* per se vel per procuratorem, ad id sive ad beneficium primarium Precum vigore petendum, speciale mandatum habentem, acceptare, sive ejus acceptandi voluntatem declarare debet; ac proinde Precum illarum rescriptum ante mensem finitum insinuare collatori Ordinario, v.g. Episcopo aut istius vicario generali vel capitulo, si collatio ad ipsum spectet; hoc enim si Precista omitteret, Ordinarii collatoris manus ligatæ non essent, quò minus beneficium alteri posset conferre: etsi aliàs beneficium interpositis primis Precibus affectum intra mensem alteri, quam ab Imperatore ejusve commissario nominato, validè nequeat conferre, ut cum Rebuffo *de Nominat. q. 16. n. 13.* observant *cit.* Cochier *f. 5. V. Anteferri* & Engel *cit. n. 70. V. Illud quoque.* Unde

177. Dubium quintum oritur, an beneficii acceptationi locus sit post mensem à notæ vacationis tempore elapsum. Esse, si vacationis ignorantiam aliudve justum impedimentum allegetur ac probetur, nemo est, qui ambigat. Si verò acceptatio per negligentiam sit omisa, accepta-

tioni, etiam re adhuc integrâ, locum esse negat Hermes *cit. cap. 11. n. 62.* Sed verisimilius etiam hoc casu, si res integra, & beneficii collatio alteri facta non sit, ejus acceptationi post mensem locum esse, defendunt *cit.* Cochier *f. 4. V. Intra mensem,* Wagnereck *V. Eodem q. 2.* propter clausulam extraordinariam additam *Indulti §. fin.* Constitutionibus Apostolicis *De non utendo gratiis expectatis* & *De diligentius per acceptantes faciendû in favorem Ordinariorum collatorum* expressè derogantem: quæ clausula, si Precibus adjecta non esset, Precista sive nominatus iis excideret, si intra mensem beneficium non acceptaret; quòd, hoc intra præscriptum tempus non acceptandò, recedat à literarum Apostolicarum forma, quâ non observatâ actus evadit nullus, secundùm Rebuff. *de Nominat. q. 16. n. 6.* ut secundò nominatus primò esset præferendus.

178. Dubium sextò est, an Precista in Ecclesia, ad quam Preces impetravit, acceptare valeat beneficium vacans secundum. Quia in re multum refert, an primum vacans acceptatum, vel ejus acceptatio sit omisa; cum, si, quod primò vacavit, acceptatum sit, ipsâ ejus acceptatione Preces sortitæ sint effectum; ut variationi & alterius vacantis acceptationi locus amplius non sit, *arg. c. fin. de Rescript. c. 1. de Postul. pralat. utrobique in 6. & 4. Scyphi 4. in fine ff. de Opt. legat. Glossa in c. Gratia 7. V. Eligas de Rescript. in 6.* Si verò primum acceptatum non sit, interest, an Preces ad beneficium in Ecclesia primò vacaturum datæ: vel, ut solet, Precistæ sive impetrantis optioni relictum sit, *Utr. quod duxerit acceptandum,* intra mensem à cognita vacationis die ei conferatur; priori enim casu, beneficii primò vacantis acceptatione intra mensem neglectâ, beneficioque postea alteri collatò,

collatò, secundo postea vacantis acceptationi locus non est; quòd Preces ad primò vacaturam datæ, ipsò intra mensem non acceptantis neglectu expirârint, *arg. c. Si clericus 11. in 6. ex cujus decisione clericus, habens gratiam Expectativam ad præbendam proximè vacaturam, secundo vacantem petere non potest, si primò vacans propter ejus neglectum alteri sit collata.* Posteriori autem casu Precista id, quod primò vacavit, acceptare potest, si id duxerit acceptandum. Sin, secundo: & si hoc quoque acceptandum non duxerit, tertio vacaturum expectare & vacans petere potest, *arg. c. 1. de Concess. præb. in 6. ubi, si à Papa mandatum sit alicui provideri de beneficio, quod duxerit acceptandum, primò vacante omisso secundum: &, istius vacatione inluper habitâ, tertium petendi optionem & jus habet: ita tamen; ut quocunque ex iis semel acceptatò, id dimittere & aliud postea vacans petere non possit; quòd regulariter electione semel factâ mutatio non admittatur, per Regulam, Quod semel placuit, amplius displicere non potest, quæ est 21. in 6.*

179. Dubium septimò est, an, si v.g. Titio beneficium vi Precum petenti, id Precibus, non affectum & obnoxium esse opponatur, is Precibus omisis ad ordinariam provisionem transire, idque ab Ordinario collatore petere ac recipere valeat. Qui transitus, etsi primâ fronte non permissus videatur, in praxi tamen profuit, ut testis est Hermes n. 72. & Juris etiam Regulis non adverfatur; cum inutilem viam ingresso regressus ad utilem Jure non præcludatur: & actionem proponenti ineptam, si appelletur, ad aptam recurfus non auferatur, *arg. c. Post electionem 7. ibi, Tam ratione prima, quam secunde concessionis, de Concess. præb. & Reg. Nullus 20. in 6.*

Neque in contrarium efficaciter facit; quòd ab electionis prosecutione ad postulationem, & ab electionis unius ad alterius prosecutionem transitus non permittatur, *c. Unic. de Postulat. prælat. & c. Ut quis duas 25. de Electi. utrobique in 6.* quia id in his quoque inhibuit non erat ante hæc Bonifacii VIII. Rescripta: quæ proinde, tanquam antiqui Juris correctoria, ad alios casus trahenda non sunt, *arg. c. Cum expediat 29. de Electi. in 6. & l. Præcipimus 32. C. de Appellar.*

Dubium octavò est, à quo beneficium, ad quod primariis Precibus nominatus est, conferri debeat Precistæ. Huic enim ultra Cætaream nominationem collatione, sive admissione juris seu tituli collativâ opus esse, nemo inficias ibit; cum exploratum & Juris Regula 1. in 6. sit, *Beneficium sine canonica institutione licet non obtineri.* Collationi etiam investituram sive missionem in ipsius beneficii possessionem accedere oportere, & institutum in hanc per Episcopum, aliùve Ordinarium inducendum, satis convenit inter DD. diversimode sentientes de ipsa collatione seu admissione ipsius tituli collativa; istam enim executoribus ab Imperatore deputatis competere, volunt *cit. Wagnereck §. 4. V. Conferre & Pirrhing n. 384. quòd Inultri Apostolici §. Quodque cit. beneficia nominatis conferre & assignare jubeantur executores: de Ordinariis verò dicatur, quòd Personæ ad hujusmodi beneficia, postquam ipsis de iis canonicè provisum fuerit, juxta Precum & nominationum tenorem recipere & admittere, hoc est, jam institutos in possessionem inducere seu installare debeant & etiam teneantur.*

Verius tamen, etiam nominatorum institutionem, seu admissionem tituli collativam, Episcopis aliisve Ordinariis collatoribus adstruit *Cochier cit. f. 2. q.*

P

11. quem

188. quem sequitur Engel cit. n. 70. id rectè desumens ex formulis Primariarum Precum, quibus usi sunt Rudolphus I. & Ferdinandus I. relatis ab eodem Cochier in *Indulti Proamio*; iis enim Preces directæ ad collatores Ordinarios; & hi ab Impp. illis requisiti sunt pro collatione seu provisione nominatis facienda. Neque id immeritò; cùm verisimile non sit, Ordinariis competens beneficia conferendi jus à Papa ademptum, & in executores extraneos translatum. Unde verba, *Postquam ipsis de illa canonice provisum fuerit*, etiam ad ordinarios collatores referenda: vel, si referantur ad executores, exaudienda sunt de beneficiis, quæ nominatis conferre Ordinarii collatores recularunt: vel de reservatis, quæ regulariter non conferre, sed ea per admissionem tituli collativam jam consecutos juxta Precum tenorem, ad actuale possessionem admittere debent & tenentur.

### ARTICULUS X.

## De Pluralitate Beneficiorum Ecclesiasticorum.

### SUMMARIUM.

182. Beneficia regulariter singula singulis clericis:  
 183. Aliquando plura uni licitè conferuntur.  
 184. Beneficia quadam Compatibilia, alia Incompatibilia,  
 185. Et hæc duplicis generis sunt.  
 186. Mutatio Jurium, vetantium beneficiorum pluralitatem.  
 187. Hodie simul haberi nequeunt I. dua Dignitates, Personatus & beneficia Curata;

188. Ut, secundò obventò, ipsò jure vacet primum:  
 189. Nisi dignitas sit Pontificalis.  
 190. Utrumque simul retinens etiam secundo privatur.  
 191. II. Duo beneficia Uniformia sub eadem testò.  
 192. III. Duo Simplicia, exigentia residentiam impossibilem:  
 193. Quorum, secundò obventò, etiam vacat primum:  
 194. (Et tertium retinens, duo priora amittit:)  
 195. Si obventò ultimi pacifica & fructifera possessio;  
 196. Idque in Titulum perpetuum sit collatum.  
 197. IV. Duo beneficia, si singula,  
 198. Aut eorum alterum solum sufficiat ad congruam sustentationem:  
 199. Quin tamen, secundò obventò, primum ipso jure amittatur.  
 200. Requisita ad beneficiati congruam sustentationem.  
 201. V. Ad hanc insufficientia beneficia Simplicia plura:  
 202. Non tamen in eadem Ecclesia tria obtineri,  
 203. Et ad ea simul retinenda dispensare Episcopi possunt,  
 204. Etiam vi consuetudinis:  
 205. Nisi ista sit immemorialis.  
 206. VI. Compatibile est beneficium Simplex cum Curato, ei unio.  
 207. VII. Duo beneficia Regularia incompatibilia sunt:  
 208. Præsertim, si sint Monasteriorum diversorum.  
 209. Ad beneficiorum pluralitatem Papa dispensat ex justa causa:  
 210. Quæ non subsistente, dispensatio saltè illicita est.  
 211. Episcopi ad eam regulariter non dispensant.

Conte-

182. **C**onferenda beneficia sunt singula singulis: non uni plura, *can. in dist. 70. can. 1. dist. 89. can. Clericum 21. q. 1. c. Quia in tantum 5. hanc Rubr. c. Cum singula 32. in 6. &c.* cum; quod singula suum officium, atque ex prima institutione sua assiduitatem sive residentiam & servitium exigant personarum, *c. Cum adeo 17. de Rescript. c. Ad bac 13. hinc*: tum verò quod non deceat, & à ratione alienum sit; ut plurium stipendia sibi vendicat unus, occupans plura beneficia, quorum ipsi singula congruam sustentationem præbent, *c. Postulasti 27. de Rescript. c. Cum tenemur 6. hanc Rubr. c. Is cui 19. in 6.* quia sic plurium & idoneorum Ecclesiæ ministrorum impeditur promotio & cultus Divinus diminuitur. Unde pluralitas sive multitudo dignitatum & beneficiorum Ecclesiasticorum ferè, tanquam fœda ambitio & turpis avaritia, fomentum vitiorum, dissolutionisque & evagationis materia, Jure passim & præsertim *c. Quia in tantum, c. Cum singula citt. Extravag. Execrabilis 3. inter communes* reprobatur, & Ecclesiastici Ordinis perversio vocatur à S. Synodo Trident. *Sess. 24. cap. 17. de Ref.* certumque animarum periculum continere, dicitur ab Alexandro III. *c. Quia in tantum citt. Glossa in c. Dudum 54. V. Retinere, de Elect. Panormit. in c. Exirpanda 20. §. Qui verò hanc Rubr. n. 24. Syl. elter V. Beneficium 4. q. 1. in fine & Azor p. 2. Infit. lib. 6. cap. 10. c. 57.*

183. Sed hoc Regulare duntaxat: non perpetuum, ut duo vel plura obtineri simul, & retineri nunquam possint; cum enim non semper singula sufficiant ad congruam unius sustentationem, & aliquando pluribus annexum officium obiri ab uno valeat, aliquando duo plurave beneficia uni eidemque conferri possunt

& aliis clericis deficientibus, debent, ut nemo est, qui inficietur. Quæ etiam causa est, cur à DD. passim beneficia quædam Compatibilia, alia Incompatibilia nominentur: & Incompatibilia quidem, quæ vel Naturali, Divinò aut Ecclesiastico Jure vetante, vel ex consuetudine statuto aut fundatione obtineri & retineri simul non possunt: ea verò, quæ obtineri & retineri simul possunt; Compatibilia vocentur, Azor *cap. 10. cit. q. 1. Laiman Lib. 4. tract. 2. cap. 8. n. 1. §. Quare Vallenf. de Benef. Lib. 3. tit. 1. n. 4. & Pirrhing ad hanc Rubr. n. 124.*

185. Ex incompatibilibus rursus quædam dicuntur primi generis, & incompatibilia ita sunt; ut, seclusâ dispensatione, secundo obtentò ipsò Jure amittatur & vacet primum: alia verò secundi generis, & incompatibilia ita; ut, licet simul retineri sine dispensatione etiam ipsa non possint, secundo tamen obtentò, non hocipsò primum amittatur ipsò Jure: sed eò privari quis possit ac debeat à superiore, *citt. Azor q. 1. §. Alii, Laiman §. Quare Vallenf. n. 6. & Pirrhing §. Rursum.*

186. Ut autem, quomodo hodie, & quænam beneficia incompatibilia sint, clarius eluceat, attendendum & præ oculis habendum est discrimen inter quatuor potissimum tempora. Primum Alexandri III. ante Concilium Lateranense: quò tempore beneficia quædam incompatibilia ita fuere; ut, secundo obtentò, in optione beneficiati esset, quod ex duobus vellet retinere, ut patet ex *c. Referente 7. c. Præterea 14. hanc Rubr.* Alterum ipsius Concilii Lateranensis sub eodem Papa: quò, sublatâ optione, is qui, secundo obtentò, non dimittebat primum, istò per sententiam privandus fuit, ut refertur *c. Quia nonnulli 3. de Cleric. non resid.* Tertium Innocentii III. in eodem Concilio, relatò *c. De multis 28. hinc*: quò tempo-

pore, secundo obtento, ipso Jure inducitur vacatio primi: & qui utrumque simul retinere praesumeret, etiam secundo privandus per sententiam fuit. Quartum Joannis XXII. qui *Extravag. Execrabilis cit.* secundum obtinentem, si cum eo primum, ipso Jure amissum, simul retinere praesumeret, etiam secundo ipso Jure privatum esse voluit, eumque insuper inhabilem reddidit ad quodcumque beneficium obtinendum: quod postremum Jus S. Synodus Trident. *Sess. 7. cap. 4. de Ref.* confirmavit.

187. Praeterea distinctio facienda est inter diversas species beneficiorum; Primum enim Praelaturae, Dignitates, aliaque beneficia Curata, tam Regularia quam Secularia: uti & Dignitates ac Personatus curam animarum annexam non habentes, incompatibilia hodie ita sunt; ut, secundo obtento, ipso Jure vacet, & ab ordinario collatore conferri valeat primum, *c. De multa & cum singula, Extravag. Execrabilis cit.* & Trident. *cap. 4. cit.* Ratio perspicua est; quia hujusmodi Praelaturarum & beneficiorum singula exigunt perpetuam residentiam personalem: idem autem in pluribus Ecclesiis residere simul non potest, *c. Adhuc 13. ubi Panormit. n. 1. cit.* Sylvester *q. 1. & Laiman n. 3.* Si autem quis, ex ejusmodi Praelaturis ac beneficiis duobus unum obtinens, alterum ejusdem rationis recipere, priusque non dimitteret, sed id simul retinere praesumeret cum posteriore, etiam hoc privandus, *c. De multa & c. cum singula cit.* imò ipso Jure privatus est *Extravag. S. cap. 4. cit.*

188. Neque his adversatur; quod *cit. Sess. 24. cap. 17. de Ref.* statuatur; ut, qui plures Ecclesias parochiales aut unam Cathedralis & alteram parochiales obtinet, unam tantum retentam alteram intra sex menses dimittere teneatur; quia sta-

tutum hoc eos solummodo spectavit, qui ejusmodi Ecclesias *In praesenti*, hoc est, tempore ipsius S. Concilii obtinuerunt: non eos, qui ejusmodi beneficia postea sunt assecuti; de his enim *cit. cap. 4. procedit, cit. Garcias p. 11. cap. 5. n. 77. Vallenf. Tit. 1. n. 7. & Pirrhing n. 149. S. Porro.*

Excipiendus etiam est Episcopus, qui per adaptionem alterius dignitatis vel beneficii non vacat ipso Jure; cum Episcopus sine Papae, in spirituali conjugii inter Episcopum & Ecclesiam suam intercedentis vinculo dispendantis, licentia deseri non possit, *c. Inter corporalia 2. de Translat. Episc.* sed potius irrita est collatio dignitatis vel beneficii secundi cujuscumque, ut colligitur ex *c. Cum nostris 6. de Concess. Prab.* Nisi tamen Episcopus esset pauper aut gravatus debitis; tali enim casu Episcopo saltem beneficia simplicia valide conferri, aut antequam collata relinqui possent, Panormit. *in c. cit. n. 15. Garcias p. 11. de Benef. cap. 6. n. 44. & Lessius Lib. 2. de J. & J. cap. 34. n. 139.* saltem, si accedat consuetudo: sicut ab Archiepiscopis Salisburgensibus canonicatus relinqui solent Episcopis Chiemsensis aliarumque Ecclesiarum, ex concessione Apostolica erectarum, & collationi suae plenè subiectarum, Laiman *cit. cap. 8. n. 4. Except. 2.*

189. Notanda hic etiam est differentia inter primum beneficium, cujus vacatio per assecutionem alterius incompatibilis, & secundum, cujus vacatio per praesumptionem contra Jus retentionem utriusque inducitur; primum enim ita vacat; ut statim sive, ut *Extravag. en. dicitur, Absque mora dispendio*, live ante omnem sententiam debeat dimitti; cum enim secundi beneficii assecutio vacet culpa, primi amissio non in poenam, sed solum ob primae collationis resolutionem per assecutionem

cutionem secundi est inducitur: secundum autem; quod ejus privatio in poenam indebitæ retentionis à Jure inflicta sit, ante sententiam declaratoriam dimitti, necesse non est: sed quantumvis ejus titulus sit amissus, possessio tamen retineri potest, donec quis eò, causâ cognitâ, per sententiam privatus declaretur, Glossa in c. Licet 28. V. Te non vocatò in 6. Lessius cit. cap. 34. n. 143.

191. Secundò, eòdem modò incompatibilia sunt duo beneficia Uniformia sub eodem tecto sive, quæ sunt in eadem Ecclesia vel capella aut coemiterio ei contiguo, v.g. duo canonicatus aut alia similia, sive idem ministerium exigentia beneficia, Clement. fin. hic & c. Literas 9. de Concess. Præb. nam etiam ex hujusmodi duobus beneficiis, quod prius obtentum est, per assecutionem secundi vacat ipsò Jure, ut cum Panormit. in c. cit. n. 3. docent Garcias cit. cap. 5. n. 18. & Flamin. Lib. 5. de Resignat. q. 1. n. 121. Et quidem, quòd incompatibilia sint, colligitur ex c. Literas & Clement. cit. quòd autem secundi assecutio vacationem primi, & præsumpta istius retentio etiam secundi privationem inducat, ex Tridentino cap. 4. cit. ea, quæ ab Innocentio III. in Lateranensi Concilio, relato c. De multa & Extravag. cit. statuta sunt, ad omnia beneficia de Jure incompatibilia porrigente.

192. Tertio, incompatibilia etiam sunt quæcunque alia beneficia simplicia, aut unum simplex & alterum curatum, si utramque personalem residentiam incompatibilem requirat, v.g. duo canonicatus aut alia præbendæ Ecclesiarum, in quibus observatur decretum Trident. Sess. 24. cap. 12. de Res. ab iis absentiam trimestri longior non permittentis, Ratio clara est; quia unus idemque officio, duobus hujusmodi benefi-

ciis annexo, satisfacere non potest, hoc ipsò; quòd simul esse nequeat in duobus locis, Panormit. in c. Extirpanda 30. §. Quia verò n. 30. Garcias cit. cap. 5. n. 260. & Laiman cit. cap. 8. n. 6.

Neque obstat; quòd in Germania nostra passim ab uno obtineantur duo canonicatus; quia in ea, ex retenta Consuetudine immemoriali & alicubi ex privilegio Apostolico, aliqui non nisi medii anni & quidam trium duntaxat mensium residentiam requirunt; ut adeo inter beneficia propter residentiam & servitium incompatibilianequeant recenseri, cit. Laiman n. 6. & Pirrhing n. 132. Deinde in Germania, qui duos canonicatus vel alia beneficia simplicia, majoris temporis residentiam requirentia, obtinent, aliquando fructus tantùm percipiunt ex uno: quò casu per assecutionem secundi, utpote infructiferam, non vacat primum, ut infra dicitur cum Panorm. in c. fin. de Cleric. non resid. n. 4.

Dubium hic est, an etiam per assecutionem secundi hujusmodi beneficii, ratione residentia incompatibilis, prius obtentum vacet ipsò Jure. Ratio dubitandi est partim; quia c. Referente & c. Preterea cit. textibus incompatibilia obtinenti datur optio, ex duobus, quòd maluerit, retinendi; & c. Quia nonnulli 3. de Cleric. non resid. secundo privandus dicitur per sententiam: præterquam quòd hoc textu sermo tantum sit de dignitatibus, personatibus, officiis & beneficiis curatis: partim verò; quia de illis duntaxat, aut ad summum etiam de incompatilibus sub eodem tecto, intelligi valet dispositio Trident. cap. 4. cit.

Verùm, quia ex una, hoc S. Synodi decretum generaliter de quibuscunque beneficiis, contra formam sacrorum canonum simul retentis, loquitur: & secundum obtinentem privat primò: ex altera

altera verò parte, ex *c. Referente & c. Prætere cit.* etiam duo simplicia beneficia, servitium & residentiam personalem incompatibilem poscentia, simul retineri non possunt, horum etiam secundò obtentò primum vacabit ipsò Jure, prout decisum à Rota, & à S. Congreg. Cardd. Concilii Interpp. declaratum pluries est, teste Gonzalez *ad Reg. 8. gloss. 25. à n. 16. cit.* Azor *cap. 13. q. 2.* Garcias *cap. 5. n. 83.* & Palao *Tratt. 13. disp. 6. p. 3. §. 6. n. 3.*

194. Dubium secundò est de eo, qui, post duo vel plura beneficia incompatibilia obtenta, sine dispensatione assequitur tertium: quem priùs obtentis non privari, desumi videtur ex *c. Ordinarii 3. §. In conferendis de Offic. Ord. in 6.* ubi tertii collatio dicitur esse nullius momenti; & consequenter non inducere vacationem priorum; cum *Non præstet impedimentum, quod de Jure non sortitur effectum*, ut haber *Reg. 52. in 6.*

Nihilominus, talem quoque priùs obtentò utroque vel pluribus ipsò factò privari, *Clement. Si plures 3.* expressè est decisum, nihil obstante nullitate collationis tertii; quia nihilominus, obtenta pacifica possessione istius, illa vacant, *arg. c. Eum qui 18. in 6.* ubi per ademptionem beneficii defacto tantum & injustam primum ita vacat, sicut per ademptionem justam: & ratio ea redditur; quòd invasor & injustè occupans beneficium non melioris conditionis sit, quàm possessor id justè obtinens, *cit.* Garcias *n. 173.* Palao *n. 24.* & Vallens. *Tit. 2. n. 16.*

Neque obstat; quòd *Clement. cit.* expressè sermo tantum sit de dignitatibus & beneficiis curatis; quia propter identitatem rationis idem Juris in personatibus & Officiis esse, notat Glossa in *Clement. cit. V. Dignitates.*

Dubium tertio de affectuone beneficii secundi est, qualis ea esse debeat, ut primi vacationem inducat. Sufficere enim affectuonem ipsius tituli per collationem, colligi videtur ex stylo Curie & consuetudine, quà Papa, Episcoporum electiones confirmans, decernere solet vacationem priùs obtentorum ab ipso puncto confirmationis; ut ea conferri alteri & collatorum possessio apprehendi statim valeat: etsi confirmatus habere nequeat possessionem Episcopatus.

Nihilominus à DD. ad vacationem primi passim & merito exigitur; ut secundi affectuio sit plena: qualis erit, si sit imprimi Pacifica, *Clement. Si plures 3. & Clement. fin.* hoc est; ut neque tempore collationis, neque tempore apprehensæ possessionis aut multò post *vg.* intra duos menses, super illa aut hac lis intentata sit vel intentanda, Glossa in *c. Commissa 35. V. Pacificam de Elect. in 6.* Panormit. in *c. De multa cit. n. 16. cit.* Azor *Lib. 7. cap. 16. q. 9.* Garcias *cap. 5. n. 110.* & Palao *§. 6. n. 21.* Deinde Fructifera; ut non solum habeatur possessio, quoad titulum & exercitium officii beneficii annexi: sed etiam fructus aut major eorum pars percipiatur. Unde, si secundò pacificè possessò ipsius fructus aut major eorum pars ex privilegio vel consuetudine alicui alteri aut fabricæ vel mensæ capitulari applicaretur, aut super illis moveretur lis, primum dimittere non teneretur provisorius de secundo, *c. Si tibi concessio 26. in 6. cit.* Panormit. *cit. n. 16.* Azor *q. 6.* & Garcias *n. 145.* quia nondum plene affectuatus est secundum. Aliud atè, si primi anni fructus reservaretur ipsi beneficiato post mortem applicandi; cum enim hoc non impediatur, quò minus fructus sint ipsi beneficiati, etiam non impediatur beneficii priùs obtenti vacationem, *cit.*

196. *dem, cit. Garcias n. 177. & Palao n. 23.* Demum; ut primi beneficii vacatio alterius incompatibilis aſſecutione inducatur, exigitur; ut utrumque in titulum vel in comendam perpetuam, & non in temporalem duntaxat ſit collatum, ut indicat S. Synodus Trident. *ſeſſ. 7. cap. 4. de Reſ. verbis Quicumque de catero plura curata aut alijs incompatibilia beneficia, ſive per viam unionis ad vitam ſeu commende perpetua, aut aliò quocunque nomine & titulò, contra formam Sacrorum Canonum recipere ac ſimul retinere præſumpſerit &c.* Unde, Vicariatus Epifcopi generalis acceptatione, antè in titulum obtenta dignitas vel beneficium non amittitur; quòd ejuſmodi Vicariatus dignitas non perpetua, ſed ad concedentis nutum revocabilis ſit, Panormit. *in c. De multa cit. n. 23. Laiman cit. cap. 8. n. 4. in fine & Pirrhing ad hanc Rubric. n. 158.*

Neque antè dictis obſtat Praxis Curia: Apollolica; quia, ut taceam; quòd iſta ſpectet Epifcopatum, ad hunc etiam promotorum beneficia non plenè & perfectè vacant à puncto confirmationis; cum confirmatus, ſi eum ab Epifcopatus poſſeſſione adipiſcenda impediti contingat, illa retinere valeat & recuperare, Barboſa *de Offic. Epifc. alleg. 57. n. 68. ut dictum n. 100.*

197. Quartò etiam duo beneficia Simplicia, tam Diſformia ejuſdem, quàm Uniformia diverſarum Eccleſiarum, & perſonalem reſidentiam non requirèntia, incompatibilia ſunt, ſi, ſpectatà tam ipſius beneficii quàm perſonæ qualitate & conditione, ſingula ſufficiant ad congruam ſuſtentationem, ut ex communi ſenſu docent *cit. Garcias cap. 5. à n. 273. Flamin. Lib. 5. p. 6. n. 119, & Barboſa alleg. 62. n. 8. & deſumitur ex can. ſin. can. Clericum c. Cum adeo c. Cum ſingu-*

*la ſupra allegatis, quibus beneficiorum pluralitas generaliter prohibetur: & clariùs ex Trident. ſeſſ. 24. cap. 17. de Reformat. diſcretè ſtatuente, Ut in poſterum unum tantum beneficium Eccleſiaſticum ſingulis conferatur: quòd, ſi ad vitam ejus, cui conferatur honeſtè ſuſtentandam non ſufficiat, liceat nihilominus aliud ſimplex ſufficiens (reſidentiam & ſervitium cum priore incompoſſibile non exigens) eidem conferre. Ubi*

Dubium eſt, an ergo cum benefici- 198.  
cio ſimplici, ad congruam ſuſtentationem ſufficiente, obtineri & retineri ſimul valeat aliud ſimplex ad ſuſtentationem inſufficiens: quoad reſidentiam tamen & ſervitium compatibile. Cui anſam præbent paulò antè recitata verba *cap. 17. cit.* cum enim hiſ ei, qui beneficium ſimplex ad ſuſtentationem inſufficiens obtinet, aliud ad hanc ſufficiens conferri clarè permittatur, non apparet ulla ratio, cur habenti ſufficiens aliud inſufficiens ejuſmodi beneficium nequeat conferri. Sed hoc leve eſt; quia *cap. 17. cit. verbis, Aliud ſufficiens, S. Synodus intelligit aliud, quod non ſe ſolo, ſed ſimul cum ſimplici beneficio ante obtento, ſive huic additum, congruam ſuſtentationem clerico præbet; cum S. Synodi intentum fuerit; ne quis haberet duo beneficia, quorum alterum ſufficiens eſt ad congruam ſuſtentationem, ut S. Congregat. Gardd. Concilii Interpp. declaratione allegata, obſervat Garcias *cit. cap. 5. n. 303.* Quare beneficium ſimplex, ad ſuſtentationem ſe ſolo ſufficiens, cum alio ad hanc inſufficiente, ſive ante ſive poſt ſufficiens obtentò, ſimul retineri poſt S. Synodì illius decreta publicata non poſſe, cum Hoieda *de Incompatib. benef. p. 2. cap. 19. n. 1. Zerola Prax. Epifcop. p. 4. V. Beneficium n. 2. Flaminio Lib. 5. de Reſignat. q. 6. n. 116. docet cit. Garcias n.**

319. ex duobus beneficiis simplicibus insufficientibus legitime simul obtentis ac retentis alterum dimittendum, asserens, quando alterum, licet facta collationis tempore non esset, postea tamen auctis redditibus se solo sufficiens evadit.

Dixi, *Post decreta Tridentini publicata*. Imò de Jure etiam ante istorum publicationem: licet in multis provinciis invaluerit Consuetudo, vi cujus beneficium simplex ad sustentationem sufficiens obtinenti aliud insufficientis, aut tale obtinenti sufficiens sine dimittendi prioris obligatione à Dioecesium Ordinariis conferatur: qualis Consuetudo, quoad ejusmodi beneficia simplicia aliàs non incompatibilia, etiam post Tridentinum in Hispania antiquissimò & modernò quoque usu recepta est, teste *civ. Garcia n. 306.* eam, si hujusmodi beneficiorum duorum, non plurium, collatio ex rationabili causa fiat, non improbante *n. 332.*

199. Dubium etiam est, an duorum beneficiorum simplicium, ad congruam sustentationem sufficientium, secundi assecutione primum vacet ipsò Jure. Quod aliqui asserunt & desumunt ex *civ. cap. 4.* decreto id, quod de curatis statutum est, ad alia incompatibilia extendente. Verùm DD. alii, licet talem primò ab Ordinario privandum, facile concedant, istius tamen vacationem secundi assecutione Jure induci, negant & Rotæ decisione ac recepta praxi confirmant, cum *civ. Gonzalez gloss. 15. n. 26.* Neque contrarium efficaciter persuadet Trident. *cap. civ.* quia hujusmodi beneficiorum incompatibilitas non tam provenit ex natura beneficiorum, quàm ex conditione beneficiatorum: respectu quorum unius insufficientis est, quod alteri congruam sustentationem præbet. Atque ita, spectatà magis æquitate & commu-

ni observantiâ, quàm rigorosâ Concilii interpretatione, docent *civ. Flamin. Lib. 3. q. 1. n. 138.* Barbofa *alleg. 62. n. 3.* & Palao *n. 13.*

Porro, quodnam beneficium sufficientem & congruam sustentationem præbeat, Glossa in *c. Cùm adeo civ. 7. Sufficiens*, Menoch. *de Arbitr. casu 216. n. 12. civ. Azor Lib. 7. cap. 10. q. 9.* Gonzalez *gloss. 15. n. 39.* Barbofa *n. 11.* & DD. alii passim reliquendum censent arbitrio judicis, qualitates, tam beneficii quàm personæ beneficiati, considerantis; cùm utique minùs ad beneficiati simplicis, quàm curati: & ad hujus, quàm Decani aut Episcopi: minùs ad plebei aut illiterati, quàm nobilitate scientiâ acque experientiâ valde excellentis clerici sustentationem requiratur. Quidam, nec malè, hac in re spectandum censent usum & praxim aliorum virorum timoratorum; ut clericus sibi congruentem sustentationem habere judicetur, si beneficiales redditus æquent summam, quàm alii ejusdem qualitatis ac timoratae conscientiæ beneficiati pro sua sustentatione exigere solent. Rectè tamen etiam notat Palao *civ. p. 2. n. 15.* congruâ & honestâ sustentatione beneficiati non ipsius personam duntaxat, sed familiam quoque includi; ut illam habere quis non judicetur; nisi percipiat redditus, sufficientes ad alimenta & salaria famulorum &c. statui suo convenientium: imò etiam ad egenos parentes aliosve proximè conjunctos juvandos & aliquando alendos, & ad eleemosynas largiendas atque Hospitalitatem, aliorum clericorum instar, exercendam.

Quintò, incompatibilia tamen non sunt & absque dispensatione retineri simul possunt plura beneficia Uniformia Ecclesiarum diversarum, vel duo Diformia ejusdem: si eorum singula ad congruam

- congruam sustentationem non sufficientem, & continuam atque impossibilem residentiam vel servitium non requirant, juxta decretum S. Synodi Trident. *cap. 17. cit.* Duo, inquam; quia triplex quis esse in una Ecclesia, sive in ea plura quam duo beneficia simul obtinere de Jure nemo potest, ut cum Glossa *fin. in Clemen. fin.* Franco *in c. 1. de Consuet. in 6. n. 7.* Dominico *in c. cit. n. 5. & 12. Puteo Lib. 2. decis. 446. n. 3.* & aliis docent Garcias *cap. 5. cit. n. 238.* & Laiman *in c. 1. cit. n. 6.* ad dispensationem, sicut pro duobus Uniformibus, sic etiam pro tribus Difformibus in eadem Ecclesia obtinendis simulque retinendis, Apostolicam exigens auctoritatem; quod id non solum Juri antiquo, *cc. in iud. vult.* beneficiorum pluralitati resistenti: sed etiam *cit. cap. 17.* decreto Conciliari aduersari, à Cardd. Interpp. pluries sit declaratum, præsertim 8. Jan. 1587. cujus declarationis verba sunt, *Nemo potest esse triplex in eadem Ecclesia: & 11. Julij 1596.* apud Gallemart *in cap. 17. n. 3.* idque Romæ observari, testis sit M. Ant. Genuenl. *cap. 64. n. 4.*
203. Vi Consuetudinis etiam aliquem in eadem Ecclesia triplicem sine Apostolica dispensatione esse non posse, cum Franco *cit. n. 7.* Imola *in c. 1. cit. n. 8.* & Garcia *cit. n. 238.* disertè docent *cit. Genuens. n. 5.* Vallent. *Lib. 3. tit. 5. n. 4.* Fagnanus *in c. Lteras 9. de Concess. præb. n. 3.* & alii, id desumens ex *c. 1. cit.* Rationem reddunt; quod ejusmodi Consuetudo; cum ad Ecclesiæ ministrorum & divini cultus diminutionem tendat, & sacris canonibus inimica sit, tanquam corruptela rejiciatur *c. 1. cit.*
204. Sed hic DD. sensus, etsi Curia Romanæ stylo & Juris Consuetudinarii principis consentaneus sit, & propterea longè & longissimi etiam temporis usu in-

troductæ consuetudinis vi tertium beneficium simplex in eadem Ecclesia obtineri Episcopali dispensatione non possit: damnare tamen, præsertim in provinciis ab Urbe valde remotis, nequaquam ausim, imò contra Fagnanum tutò prædicari posse, existimo doctrinam Navarri *Consil. 16. de Præbend. n. 3.* tertium ejusdem Ecclesiæ, sed Difforme beneficium, quando duo in ea obtenta ad congruam sustentationem sufficientia non sunt, conferendi potestatem Episcopis vi Consuetudinis immemoralis competere posse, asserentis. Quam ejus doctrinam cum Zerola *in Praxi Episcop. V. Conformitas & Lælio Zecch. de Republica, de Benef. n. 4.* non obscure approbat Laiman *cit. cap. 8. n. 7. in fine,* & mihi persuadet partim; quod *c. 1. cit.* textus, ejusmodi Consuetudinem tanquam corruptelam reprobans, de dignitatibus, personatibus, administrationibus & officiis: non de beneficiis simplicibus & ad sustentationem insufficientibus loquatur: partim verò; quod beneficiorum, ad congruam sustentationem insufficientium, tertium in eadem Ecclesia conferendi potestas Episcopis competere valeat Privilegiò Apostolicò, ut nemo facillè inficias ibit: Consuetudo autem & præscriptio

205. immemoralis vim habeant privilegii, à summo Pontifice specialiter concessi, *c. Super 26. V. Præerea de V. S. & l. Hoc jure 3. S. 4. ff. de Aqua quotid.* usque adeò; ut ipsa melior titulus nequeat allegari, Gonzalez *in Reg. 8. gloss. 33. n. 4.* & plures alii apud Barbosam *in c. Super cit. n. 7.*

Sextò, quin simul etiam obtineri 206. & retineri sine dispensatione possunt duo hujusmodi beneficia curata, si unum sit alteri accessorium, vg. Archidiaconatus aut Decanatus; cui accessorie unita est Ecclesia parochialis, *c. Super eo 6. in 6.*

Q

quia

quia talis non censetur habere duo beneficia; cum id, quod alteri accessorium est, per unionem cum illo sit suppressum & extinctum, & cura animarum illi imminens per vicarium, Rectori principali, scilicet Archidiacono vel Decano substitutum, exerceatur, *c. Extirpanda* 30. §. *Qui vero & c. Exposuisti* 33. Ita in *c. Super eo cit.* Francus n. 3. Laiman n. 1. Barbosa n. 7. Pirrhing ad hanc Rubric. n. 134. & Wagnereck in *c. cit.*

297. Septimo, duo beneficia Regularia, etiam ejusdem Ordinis ac monasterii, ab eodem simul obtineri & retineri non possunt, Jure id aperte prohibente, *c. Cum singula cit.* & *Clement. Unic. in fine de Suppl. neglig. aded;* ut cum beneficio etiam capella vel altare simul haberi nequeat: nisi eorum unum alteri sit unicum, Navarrus *Comment. 4. de Regular. n. 23.* Rodriguez *Tom. 1. Regular. q. 34. art. 1. & Sanchez Lib. 7. Moral. cap. 29. n. 78.*

208. Multo minus, quam in eodem, duo ejusmodi beneficia obtineri ab eodem simul possunt in monasteriis vel Ecclesiis diversis, *c. cit. V. Prohibemus;* quod, si quæ ea in diversis simul obtineret, constitueretur sub diversa Obedientia & duobus Prælatibus subiceretur, contra decretum Concilii Lateranensis, *c. fin. de Relig. domib. relatum.*

209. Superest dubium, quis ad beneficiorum pluralitatem valeat dispensare. Et quidem, ex justa causa id posse Papam, exploratum & clarè proditum est, *c. De multa, c. Licet cit. c. Proposuit 4. de Concess. præb. verbis, Secundum plenitudinem potestatis de Jure possumus supra Jus dispensare, & Clement. 1. Ut lite pendent. & Praxi quotidianà receptum.* Intervenire tamen necesse est justam causam: cujusmodi est Necessitas Ecclesiæ,

vg. cum defunt idonei ministri in locis, in quibus Hæretici se intrudere nituntur. Eiusdem evidens Utilitas; ut quando unus solus etiam absens propter singularem auctoritatem, prudentiam aut etiam potentiam Ecclesiæ magis profuturus judicatur: propter quam causam plures Episcopatus in Germania non raro conferuntur uni, quod ita res Catholica contra Hæreticos facilius defendenda judicatur. Prærogativa meritorum, ob quam cum Regum aliorumque Principum filiis, S. R. E. Cardinalibus, & doctrinâ rerumque usu præstantibus aut de Ecclesiâ bene meritis viris, eorumque liberis ad Ecclesiasticarum dignitatum pluralitatem dispensari à Sede Apostolica solet; juxta *c. De multa in fine ibi, Circa sublimiores tamen & literatas personas: quæ majoribus sunt beneficiis honoranda, cum ratio postulaverit, per Sedem Apostolicam poterit dispensari;* quibus consonat *Extravag. cit. §. Nos itaque, Panormit. in c. De multa cit. n. 7. & Azor Institut. p. 2. lib. 6. cap. 12. q. 7.*

Hujusmodi aliæ similes justæ causæ si non interveniant, Azor *q. cit. Palao cit. §. 6. n. 26.* aliique existimant, invalidam esse dispensationem, utpote factam in Jure Naturali ac Divino, plurium stipendia persolveri unum duntaxat officium cum divini cultus diminutione præstanti, & Ecclesiam debitis ministris destitui, prohibenti: eamque ob causam beneficium, ejusmodi dispensatione ad pluralitatem non obstante, ad unius resignationem obligari, idem Azor expressè monet *q. 7. cit.* Quæ hæc de re Opinio, etsi omnino probabilis, non improbabile tamen etiam est, validam esse dispensationem, si officio alterius Prælatuæ vel beneficii annexo æquè per vicarium, quam Prælaturam aut beneficium ipsum satisfiat; quod tali

casu Naturalis ac Divini Juris obligatio cesset, juxta dicta Tit. 4. n. 12.

211. Dubium est, an in pluralitate dispensare valeat Episcopus. Certum est, dispensari ab eo posse in incompatibilitate, quando hæc statutò vel Consuetudine solum diocesana est introducta. In ea etiam, quæ communi Jure introducta est, casu, quò dispensationem exigit Necessitas aut evidens Utilitas, & ad Papam difficultis recursus est, dispensandi facultatem ei adstruunt plerique: qui tamen regulariter ad beneficia Jure illo incompatibilia dispensari posse, meritò negant, ducti arg. e. *Cum inferior* 16. de Majorit. & Obed. Glossa in c. Non po-

test 2. V. *Apostolica in 6.* & Azor cit. cap. 12. q. 6. Hoc tamen Jure non obstante, ex Consuetudine Episcopi Germaniæ dispensant ad duo beneficia simplicia, vg. ad duos canonicatus diversarum Ecclesiarum, non exigentes residentiam incompatibilem: uti etiam ad beneficium simplex retinendum cum curato; sic enim non infrequenter beneficia curata obtinent canonici Ecclesiarum Cathedralium, aut Collegiarum, quando eorum unum non sufficit ad congruam sustentationem, Azor cit. Lib. 6. cap. 11. q. 4. Garcias cap. 5. n. 369. & Pirrhing ad hanc Rubric. n. 188.



## TITVLVS VI.

### De Clerico Ægrotante vel Debilitato.

#### SUMMARIUM.

- |  |   |
|--|---|
| 1. Beneficium ad Officium inhabili non confertur.      | 9. Et ipsi parochis &c. auferuntur in-<br>pse Ecclesie:                                   |
| 2. Non tamen auferuntur in eo canonicè instituto:      | 10. Saltem, si has plenè & absolutè jam fuerunt consecuti.                                |
| 3. Qui etiam senex & infirmus illius percipit fructus, | 11. Coadiutori assignanda est portio fru-<br>ctuum coadjuti,                              |
| 4. Cum distributionibus, ante percipi solitis:         | 12. Vel de sustentatione ab Episcopo al-<br>liter providendum.                            |
| 5. Licet infirmitas contracta sit propriè culpâ.       | 13. Episcopis coadjutores aliquando dat<br>Papa vel Capitula, aliquando<br>ipsi assumunt, |
| 6. Ei tamen dandus est Coadjutor.                      | 14. Eòsque serè inferioribus assignant.   |
| 7. Neque, etiamsi perpetuò inhabiles sint, Episcopis,  | 15. Coadjutoria expirat morte vel ces-<br>sione coadjuti:                                 |
| 8. Prælati inferioribus,                               | 16. Nisi à Papa data sit cum jure suc-<br>cessionis,                                      |

Q 2

17. Con-